FUNDAMENTA

WALDSCHMIDT

A.i.6. ~~+ h. 20~~

A XXX w

53212/A



39748 (1)

JOHANNIS JACOBI
WALDSCHMIED,
ARCHIATRI
HASSO-CASSELLANI,
ET
Profeſſoris Medici Primarii in Academia
Marpurgenſi,

FUNDAMENTA MEDICINÆ,

AD
MENTEM NEOTERICORUM
DELINEATA.



LUGD. BATAVORUM,
Apud ADRIANUM MARSTON,
cIↃ IↃ CLXXXV.

SERENISSIMO
AC
POTENTISSIMO
PRINCIPI
ET
DOMINO
DN. CAROLO,
HASSIÆ LANDGRAVIO,
PRINCIPI HERSFELDIÆ,
COMITI
CATTIMELIBOCI, DECIÆ, ZIEGENHAINÆ, NIDDÆ ET SCHAUMBURGI, &c.

PRINCIPI OPTIMO
MAXIMO,
DOMINO MEO
CLEMENTISSIMO,
TEMPORALIS HACTENUS FELICITATIS
MEÆ POST DEUM
AUGUSTO CLEMENTISSIMO,
EVERGETÆ
MUNIFICENTISSIMO.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

SERENISSIME

AC

CELSISSIME

PRINCEPS.

DOMINE CLEMENTISSIME.

Ardua molior, dum neglectâ ſalebroſâ, ſed tritâ viâ novam quæro in foro medico ſemitam, ut eò firmiori talo ſtent mecum omnes, quibus veritas & ægrotantium ſalus cordi eſt. Equidem non erubeſco palàm profite-

 ri, Me-

ri, Medicinam veterum fragili fundamento usque adeò inniti, ut niſi novis ſuffulciatur columnis brevi illud funditùs everſum iri perſuaſum habeam. His ego motus diſputationes quaſdam ante aliquot annos in Inſtitutiones Medicas orbi erudito expoſui & jactâ ſic feliciter aleâ novam nunc inſtituo in immenſo illo pelago velitationem, ſolidiora delineando fundamenta, quæ ex principiis Naturæ & ſanæ rationi magis accommodatis conſtructa ſunt. Suſtinui intrepidè varios impetus, quibus tamen non obſtantibus ad portum tutus provectus ſum, quia aura Haſſiaca me propulit. Hunc ergò ingenii mei fœtum Serenitati Tuæ,

ti Tuæ, SERENISSIME PRINCEPS poſito genu offero, humillimè petens, ut exiguum hoc opus, ceu ſubjectiſſimæ gratitudinis & devotiſſimæ obſervantiæ publicum argumentum ſereno obtutu reſpicias, huncque libellum Auguſtiſſimo Tuo nomine exornari permittas, ſic famam & vitam apud omnes facilè impetrabit. Vive interea felix PRINCEPS Optime Maxime! Supremus beatæ perennitatis arbiter Deus Te ad annos ſervet Neſtoreos, quod pio & devoto corde humillimè vovet

TUÆ SERENITATIS

Humillimus & devotiſſimus
Servus
JOHANN JACOB WALDSCMIED.

PRÆFATIO.

Qui horrendos illos maris ſuperare fluctus & vaſtiſſimum emetiri volunt pelagus, indice magnetico ſibi proſpiciunt, qui oſtendat quò eundum aut redeundum ſit, cujus etiam ope Syrtes, Scyllas, Charybdes, aliosque ſcopulos, magnaque Oceani portenta, quæ profunda iſta vaſtitas nutrit, evitare poſſint. Hujus nauticæ pyxidis legitimo uſu ipſa diſcernunt littora, modo ſæviente fluctu inquieta, modo fugiente deſerta. Imò medio etiam ſub ventorum concurſu, mariſque funditus convulſi impetu terram cognoſcunt.

ſcunt. In vaſtiſſimo Medicinæ pelago ſi ſtudioſus nautica deſtituatur pyxide, nunquam illud emetiri poterit, ſed mediis ſub undis omni exuetur ſpe emergendi. Hinc conſultum eſt, ſolida quædam ante omnia ſibi comparare præcepta, quæ ſubortâ etiam tempeſtate impediant, quò minùs conjecturis eluſi ſcopulis impingamus, varioſque in errores ægrotantibus fatales præcipitemur. Quam vacillantibus autem inceſſerit hactenus Medica Ars greſſibus, ſilentii peplo præſtat involvere, quàm tædiosâ enarrare verborum ſerie. Redundat enim culpa in Scholas, in quibus medicina enutrita faciem adeò deformem nacta eſt, ut à priſtino decore & nitore quàm longiſſimè degeneraverit. E Scholis contagium abiit in Medicinam,

ipſique nil niſi terminos ſcholaſticos, otioſorum ingeniorum figmenta, diſtinctiunculas ne obolo quidem dignas, præjudicia inveterata, doctaſque nugas aliaſque quisquilias, afflavit, ut actum jam eſſet tum de veritate, tum de ægrotantium ſalute, niſi Augiæ hoc ſtabulum noſtro hoc ſeculo expurgare cœpiſſet ingenioſiſſimus Renatus des Cartes, qui dum lucem philoſophiæ reddidit, non parum ipſi profuit medicinæ. Hinc eſt quod nunc omnes facultates, qualitates ocultas, cum integra humoriſtarum turba è foro medico exulare jubeamus, & ope philoſophiæ experimentalis medicinam ad ſummum perfectionis culmen tandem evectum iri ſperemus, vel ob id aliis feliciores, quod rerum cognoſcamus cauſas. Cùm

ita-

itaque & mihi docendi provincia ſit demandata, conatus ſum medicinam in certa redigere præcepta, quæ ſolidioribus innitantur fundamentis è ſaniori philoſophia mutuatis. Utrum verò pro voto negotium hoc ſucceſſerit, aliorum relinquo arbitrio, obnixè rogitans ut B. Lector æqui boniquę conſulat tum brevitatem, tum etiam ſtylum, & dicendorum ordinem quandoque interruptum, ad quæ inter alios concatenatos labores attendere vix licuit. Vale, & ſi lubet, errata ſub finem maximè, corrige.

VIRO

VIRO

NOBILISSIMO, EXPERIENTISSIMO, EXCELLENTISSIMO,

DN. JOH. JACOBO WALDSCHMIED,

Archiatro Haſſiaco, Medicinæ Doctori, ejuſdemque Primario, ut & Phyſices Ordinario, Profeſſori longe Celeberrimo, Domino atque Collegæ multis nominibus colendo.

Poſtquam accepi, Vir Nobiliſſime atque Celeberrime, Te *Inſtitutiones* Tuas *Medicas*, quas è cathedrâ Academicâ

demicâ in Diſputationum argumentum hactenus propoſuiſti, nunc inſtantibus hiſce nundinis autumnalibus conjunctim editurum, magiſque quâm ut intra valvas Academiæ tantùm deliteſcant, publici juris facturum, non potui non hoc Tuum inſtitutum utroque, quod ajunt, pollice probare. Adeò enim clarè & diſtinctè, adeò ſuccinctè & ſolidè illîc tradidiſti omnia ad rem Medicam ſpectantia, ut quantum ego de hiſce judicare poſſum, non tantum Medicorum filii feliciter inde adjuvari, ſed alii etiam, quantum ad curandam propriam valetudinem cuique ſatis eſt, ſufficienter inſtrui poſſint, ego certè inter varios morbos legerim cum voluptate & fructu. Neque nos Reformati ii ſumus, ex quorum religionis principiis omnis uſus Medicinæ tollatur. Abſit enim, abſit, ut Deo Opt. Max. conſilia tribuamus cum excluſione mediorum executionis, iiſdem conſiliis divinis ſapientiſſimâ ratione ſimul ordina-

ordinatorum. Sed ſicut in negotio noſtræ ſalutis firmiter credimus & confitemur, Deum, quibuscunque decrevit ſalutem, illis omnibus & ſolis etiam decreviſſe infallibilia media ſalutis, inter quæ fides in Chriſtum & ſanctitas, ita ut qui hiſce ſincerè & ex animo ſtudet, aut etiam vel in graviſſimis tentationibus ſtudere convinci poteſt, (ut poteſt quicunque verè fidelis) certiſſimum ſolatium habere poſſit, ſe non tantùm de præſenti in ſtatu gratiæ divinæ eſſe, verùm potenti manu Dei cuſtoditum in eo etiam uſque ad finem vitæ plenamque conſecutionem ſalutis perduraturum eſſe, quod ſolatium ſolius Reformatæ religionis proprium eſt: ita etiam ratione hujus temporalis vitæ certò ſtatuimus, Deum, quorum vitam hîc aliquandiu conſervare decrevit, illis omnibus etiam media præordinâſſe, per quæ ſecundùm communem ſaltem, quem ſervare ſolet ordinem agendi illud effectui dat, & ad

eum

eum ætatis terminum ipſos perducit, quem ſemel ipſis fixit: atque hinc, licet ea connexio non ſit mediorum conſervandæ hujus vitæ cum ipsâ vitâ, quæ eſt ſalutis & mediorum infallibilium ſalutis, officium hominis eſſe, mediis, quibus Deus juxta diſpoſitionem conſilii ſui vitam hominum ſolet conſervare, uti, eventu non tantùm Deo commiſſo, ſed etiam, ſi mediis illis utatur in timore Dei, eventu ſalutari, quomodocunque cadat, ab ipſo exſpectato. Et hanc eſſe doctrinam noſtram, ipſa praxis noſtra docet. Ipſe nôſti, Vir Celeberrime, quam diligenter in morbis meis Tuâ operâ hactenus utar, quomodo eandem etiam ex meâ commendatione Dantiſco expetierit Frater meus germanus unicus, longè dilectiſſimus, Doct. ADRIANUS PAULI, Reformatæ illîc Eccleſiæ Paſtor Primarius. Reſpondit etiam ex benedictione divinâ felix ſucceſſus, dum Frater meus tantùm non totus, ego quidem

nondum

nondum ita plenè reſtitutus ſum, attamen divino beneficio jam longè meliùs habeo, indies recolligens vires. Quò magis poſt devotiſſimas grates ſupremo Numini inprimis actas pro conſervatæ vitæ & redditæ valetudinis beneficio, Tibi etiam, Vir Celeberrime, pro fideliſſimâ, quam nobis præſtitiſti operâ, nos obſtrictos fatemur, idque hâc occaſione in publico etiam teſtari volui. Quin gratulor Tibi ex animo de felici praxeos Tuæ ſucceſſu, quem, proſpiciente Deo, ubique obtines, eo nomine ipſi SERENISSIMO PRINCIPI NOSTRO, ac AUGUSTÆ EJUSDEM CONJUGI, totique Aulæ noſtræ commendatiſſimus. Eò magis verò etiam opinor, hunc Tuum, cujus editionem jam curas libellum, multis mortalibus utilem futurum. Ego non tantùm hoc toto corde precor, ſed etiam, ut qui ſe populi ſui Medicum appellare dignatus eſt, Deus Iſraëlis, Te ipſum per multos florentes annos

animo

animo & corpore ſalvum & incolumen præſtet, ad multorum miſerorum ſolatium, & Tuam ipſius perennem felicitatem: Vale.

Dabam Marpurgi è muſeo meo d. 5. Sept. An. MDCLXXXII.

Nobiliſſimi ac Celeberrimi Nominis Tui

Devotiſsimus Cultor

REINHOLDUS PAULI,
SS. Th. D. & Prof. Ord.
Ref. Eccl. Paſt. Ord.

Nomi-

Nomina Dnn. Studioſorum, qui Reſpondentium officio functi fuêre.

I.

CHRISTIANUS KÛRSNERUS, Marpurgenſis.

II.

JOH. WILHELM. DIMELIUS, Suſato-Gueſtphalus.

III.

CHRISTIANUS SCHNABEL, Marpurgenſis.

IV.

DANIEL NEBELIUS, Heidelbergâ Palatinus.

V.

CONRADUS REINHARDUS MILCHSACK, Münchauſ. Haſſ.

INSTI-

INSTITUTIONUM MEDICINÆ

LIBER PRIMUS.

CAPUT PRIMUM,

De Ortu Medicinæ, Ejuſque genere, objecto & fine.

§. 1.

Vt uſitatam hactenus in ſcholis ſequamur methodum de Medicinæ natalibus pauca erunt præmittenda. Nemo autem inficias ibit, ipſum Deum Authorem eſſe Medicinæ, à cujus gratia eſt, quòd homines variis afflicti incommodis & innumeris fortunæ injuriis expoſiti appropriata quædam remedia caſu, expe-

rientiâ & ratione invenerint: hinc quamvis prioribus temporibus Medicina tota ferè fuerit Chirurgica, ad tantum tamen creſcentibus indies morbis devenit faſtigium & etiamnum ita ſuperbit, ut in quolibet morbo ſylva medicamentorum nunc pandatur.

§. 2. Ægyptii fuêre primi, qui poſt diluvium Medicinam exercuêre, & ſuum adhuc colunt HERMETEM TRISMEGISTUM, propter Tabulam Smaragdinam, cujus Author habetur, valde celebrem. Ab his ad Græcos & denique ad Romanos translata eſt, ut variæ nunc ſectæ recenſeri poſſint. [1] Empirica, quæ floruit apud Ægyptios, & ſuô contagio univerſum videtur contaminaſſe terrarum orbem, ut pauci reperiantur, qui hoc morbô non laborent. [2.] Dogmatica ſeu Rationalis, cujus Anteſignani HIPPOCRATES & GALENUS. Hic tamen creditur artem pulvere ſcholaſtico ita condiviſſe, ut hodierno tempore prudentiorum palato non amplius arrideat. [3.] Methodica fuit, quæ penitus exſpiravit. [4.] Hermetica, Chymica, Spagyrica vel Paracelſiſtica, cujus aſſeclæ filii artis vocantur. Ad hos referimus Helmontianos, Tackenianos, Sylvianos & alios. [5.] Mixta quædam Dogmatico-Hermetica dicta. His novam addere poſſumus Dogmaticco-Mechanicam, quæ lucem ſuam

ſuam ex Philoſophia corpuſculari vel Carteſiana fœneratur. Hæc enim in Medicina ceu novum exortum ſidus ægrotantibus certiorem ſalutem portendit. Quandoquidem ex hac habemus Philoſophia, quòd omnium phænomenorum, morbos concomitantium, cauſas evidentiſſimè explicemus; quòd Medicamentorum vires clarè & diſtinctè deſcribamus, & quòd in œconomia animali, ſi verum rationis uſum adhibere velimus, nihil amplius reperiatur, quod captum noſtrum ſuperet, prout dum inhac, dum in ſecunda & quinta parte pluribus oſtendetur.

§. 3. His præmiſſis definimus Medicinam, quod ſit ars [vel etiam ſcientia, utrumque enim dici poteſt] ſtatuæ humanæ viventis integram fabricam & texturam conſervandi, labefactatam verò convenientibus remediis reſtituendi.

§. 4. In hac definitione duplex diverſo reſpectu ponimus genus, artem nempe & ſcientiam, ſuper quo diu diſceptatum fuit, Scholaſticè magis, quàm Medicè. Ars eſt, ſi Chirurgiam & modum præparandi Medicamenta ſpectes. Scientia eſt, ſi omnes effectus per ſuas cauſas explices, ſi naturam ſanguinis clarè & diſtinctè deſcribas, ſi qualitates medicamentorum ingenii robore exhaurias, quod philoſophari eſt, hinc eſt, quòd Medicina pars Phi-

loſophiæ audiat; ubi enim definit Phyſicus, ibi incipit Medicus. Et HIPPOCRATES *libro de decenti ornatu* Medicum vocat Philoſophum, qui per ſuam ſcientiam Deo quodammodo ſimilis evadat.

§. 5. Objectum, circa quod Medicina verſatur, eſt ſtatua humana vel corpus humanum vivens, cujus integritas ſeu ſanitas, ſi calculum benè poſuero, in legitima omnium partium textura conſiſtit, & hac ratione cum horologio aut alio quodam automate comparari poteſt.

§. 6. Velim hîc notari, in homine duo agendi principia reperiri, quorum unum eſt res cogitans, alterum Subſtantia extenſa; Iſtius vita eſt cogitatio, & propterea eſt immortalis. Hujus verò vita in proportionati caloris ſuccique nutritii diſtributione conſiſtit, & à ſanguine potiſſimum dependet, de quo *vide cap.* 3. Nemo equidem facilè ibit inficias, in homine diverſi generis operationes deprehendi, modò à præjudiciis liberati, res prout in natura exiſtunt, intueri velimus. Quædam operationes citra cogitationem peraguntur, ut mens earum nunquam ſit conſcia, & quamvis interdum fiat conſcia, nequaquam tamen propterea alacrius & perfectius eduntur, quales ſunt Chylificatio, Sanguificatio, chyli & fœcum motus, ſanguinis circulatio, Spirituum animalium

malium generatio, tranſpiratio, & certo reſpectu reſpiratio, aliæque innumeræ, quæ immediatè à ſola partium diſpoſitione & textura dependent, ita ut poſitis omnibus ad agendum requiſitis partes non poſſint non agere. Quædam verò altioris ſunt indaginis & cogitativæ dicuntur, quæ ab anima rationali proficiſcuntur, quales ſunt velle, nolle, percipere, ſentire &c. Et cùm duæ hæ ſubſtantiæ certis ſub legibus ſibi invicem ita ſint unitæ, ut certos motus corporis certæ debeant ſequi cogitationes in mente, & viciſſim certas cogitationes certi motus corporis, & hominis vita in mutuo illo commercio conſiſtat, facilè exinde probari poteſt, dari nonnullas operationes ab utroqne principio tàm incorporeo quàm corporeo dependentes, quales ſunt omnes motus arbitrarii.

§.7. Ut itaque naturas rerum diſtinctius tradamus, & ſolidiorem œconomiæ animalis acquiramus cognitionem, objectum Medicinæ per ſtatuam humanam exprimimus, in qua varii automatici motus cientur, ut non immeritò machina hydraulico-pneumatica vocetur, cui tamen mens juncta præter proprias ſuas actiones etiam alias toti homini communes edere potens eſt. Hujus objecti dignitas facit, ut artem veterinariam & mulo-medicinam ſuis relinquamus

 mus

mus Profeſſoribus, qui vegetabilibus & animalibus in foro à noſtro longè diſſito mederi ſatagunt.

§. 8. Finis Medicinæ eſt mederi fragili machinæ, ejusque fabricam, quantum in artis ſitum eſt poteſtate, conſervare, vel fractam redintegrare.

§. 9. Tota ars Medica quinque abſolvitur partibus, Phyſiologica, Pathologica, Semiotica, ὑγιεινὴ & Therapeutica. In prima parte docetur machinæ ſtatus naturalis. In ſecunda præternaturalis. In tertia ſigna diagnoſtica & præſagia indicantur. In quarta methodus conſervandi machinæ integritatem docetur. In quinta medendi methodus cum univerſo apparatu huic negotio perquam neceſſario deſcribitur.

CAPUT SECUNDUM,

De Elementis.

§. 1.

Cum hæc de elementis doctrina propriè ad Medicinam non ſpectet, hinc paucis ſaltem eam delibabimus, quò animus lectoris præ-

paretur,

paretur, & quæ dicenda inpoſterùm reſtant clarius intelligantur, quod ipſum quoque SENNERTUM in ſuis Inſtitutionibus feciſſe legimus.

§. 2. Neque opus eſt, ut pomum hoc Eridis tantopere fugiamus, ſi enim ipſa præjudicia excutiantur, & obſcuri termini proſcribantur, omnis difficultas facilè ſuperari poterit. Meaque officio ex aſſe ſatisfecero, ſi pro ſcopo noſtro obtinendo talia denominaverim elementa per quæ omnia Phænomena in corporum tum compoſitione tum reſolutione occurrentia evidentiſſimè explicari poſſunt, quæque ubivis obvia & intellectu facilia deprehenduntur. Talia numero ternario comprehenduntur, ſuntque Materia primi ſecundi & tertii elementi: Vel Materia mundi ſubtiliſſima, globuli ætherei & particulæ terreſtres. Nulla enim corpuſcula, nullæ molleculæ, cujuscunque etiam ſint conditionis, in hoc univerſo reperiuntur, quæ non ad unam ex his tribus claſſibus referri poſſint, quandoquidem hoc univerſum abſolvitur corporibus lucidis, pellucidis, & opacis, ſive lucem emittentibus, lucem transmittentibus, & lucem remittentibus.

§. 3. Materia ſubtilis ſiveætherea deſcribitur, quòd conſtet ex particulis indefiniti motus, figuræ, & magnitudinis, quibus indefi-

nita illa corporum interſtitia & poros replere apta nata eſt, omniumque fermentationum, alterationum, & corruptionum author exiſtit, dans calorem & motum omnibus corporibus, & pro certis anni temporibus, nunc parcius, nunc copioſius, nunc alia atque alia, prout tellus ſolem, ſydera, & vagabunda lumina nunc propiùs accedit, nunc ab iisdem longius recedit, in hæc inferiora ſpargitur, unde variæ rerum viciſſitudines tum in Macrocoſmo, tum in Microcoſmo obſervantur.

§. 4. Enimverò nequaquam negatum volumus, decantata illa Peripateticorum elementa in mundo exiſtere, id quod imprudentiæ eſſet argumentum, ſed hoc ſaltem obtinere contendimus, illa nondum mereri nomen elementi, quia primò ex antea denomitatis conſtant, ſecundò non in quolibet corpore oſtendi poſſunt v. g. in auro, tertiò, quid ſint explicari nequit, niſi ipſorum natura per materiam primi, ſecundi vel tertii elementi declaretur, quartò plurima reperiuntur Phœnomena, quæ ſtante numero iſto quaternario nunquam explicari poſſunt. Denique, quia vulgare illud experimentum, in ligno viridi accenſo inſtitutum, nemini ſatisfacit.

§. 5. Pari facilitate tria Chymicorum Elementa rejicimus, quia de ipſorum natura ipſi diſſen-

diſſentiunt, & experimenta, quibus numerum ternarium probare conantur, infida ſunt; Porrò nec hæc Tria, nec aliorum quinque agere poſſunt, niſi à materia primi & ſecundi elementi actuentur Plures rationes videre licet *in diſput.* DN. DE VOLDER *de principiis rerum naturalium.*

§. 6. Neque ipſi etiam HELMONTIO aſſentior unicum ſtatuenti elementum, nempe aquam, in quam liquore ſuô Alcaheſt omnia corpora reſolvere audet. Cùm enim experientia in innumeris nos adhuc deficiat, & aqua illa nonnullis Vegetabilibus, teſte HELMONTIO, BOYLE *& aliis*, dans incrementum, corpus, mixtum potius quam ſimplex, videatur, hæc doctrina hactenus ab incertitudinis & inſufficientiæ labe vindicari haud potuit.

§. 7. Enimverò cùm in corporum concretionibus & ſecretionibus obſervatum fuerit, duo præprimis ſalia præ aliis valdè efficacia eſſe, & in omnibus reperiri corporibus, eò devenêre viri quidam doctiſſimi, ut duo hæc ſalia, quæ Acidum & Alkali appellant, pro Elementis activis additis aliquot paſſivis etiamnum habeant, & non ſolùm omnia Phœnomena evidentiſſimè per ea explicent, ſed ſolidam quoque medendi methodum huic doctrinæ ſuperſtruant,

ant, quorum ſalium activitatem ſi alii atque alii, quam inferunt, tribuas materiæ æthereæ, majorem fortè lucem ipſa ars Medica inde fœnerabitur, hinc quid ſint paucis quoque dicendum erit.

§. 8. Videntur autem acida conſtare ex particulis rigidis etiam, ſed ab utroque latere vel fortè pluribus inſtar gladiolorum ſcindentibus, & à nonnullis cuneorum inſtar concipiuntur. Alkalica verò lævia magis & poroſa ſunt, & nomen ſuum ſortiuntur ab articulo Arabico Al & herba Kali, cujus ſal vitris conficiendis valde aptum eſt, & quia cum Acido ſemper effervescit, omnia ſalia, quæ idem faciunt, Alkalica appellantur.

§. 9. Salia hæc [Acidum & Alkali] ad materiam tertii Elementi referuntur, ſuntque corpuſcula rigida, diverſimodè figurata, plus minus fixa vel volatilia, diverſi generis materiam ætheream tranſmittentia, hinc quoties interveniente fluido ſibi occurrunt, toties pugnam ineunt & effervescentiam producunt, præviâ quâ tandem ita cicurantur, ut in tertium abeant, quod videre eſt in Tartaro Vitriolato, qui ex ſpiritu vitrioli [ſale acido] & oleo Tartari [Alkali] præparatur, & poſt ſedatam effervescentiam ad neutrum referri poteſt.

§. 10. Horum ſalium variæ dantur diffe-

rentiæ.

rentiæ. Utrumque eſt vel fixum vel volatile, manifeſtum vel occultum. Acidum fixum eſt in auro. Volatile in ligno quercino, in noſtro ſtomacho. Manifeſtum eſt in aceto, occultum in pane, ſaccharo &c. Alkali fixum eſt in ſale abſynthii, quæ ſalia etiam lixivioſa dicuntur; Volatile in Cornu Cervi, Armoniaco, Cochlearia, pipere, quæ Urinoſa audiunt. Manifeſtum eſt in Oleo Tartari; Occultum in creta, oculis cancrorum, aliiſque teſtaceis. Utraque autem ſunt plus minus acria, ut ipſa venena ſuam energiam ab his mutuentur: hinc aquam fortem, Mercurium præcipitatum & ſublimatum ad acidorum, arſenicum verò ipſumque virus peſtilentiale ad alcalium claſſem referimus.

§. 11. Hæc doctrina jam dudum fuit tradita ab HIPPOCRATE dicente, *ſanguini noſtro ineſſe acidum, amarum, ſalſum & ſexcenta* &c. Siquidem per horum nexum plus minus proportionatum ſanguinis craſis, variæque ejus anomaliæ ſat commodè explicari poſſunt.

CAPUT

Caput Tertium.

De Chylo & Sanguine.

§. 1.

Cibi reliquiæ acriores, vacuo in ventriculo hinc inde oberrantes, orificium ejus ſuperius ex contextu conſtans nerveo vellicant, occaſione hujus motus, mediantibus nervis ad ſenſorium commune in cerebro, glandulam pinealem volo, delati, mens lege conjunctionis ideam famis concipit, indeque oritur appetitus, qui reſpectu corporis nil niſi motus, cujus vi ſpirirus animales cerebri incolæ, in ventriculis ejus in indifferentia poſiti, ita determinantur, ut ad palatum excurrant, & glandulas ibidem ſitas non rarò ita comprimant, ut ad aſpectum cibi gratioris lympham rivulorum inſtar in oris cavitatem eructent. Ab iiſdem ſpiritibus ſtatuæ humanæ labia, nec non aliæ partes ita diſponuntur, ut cibus manibus & labiis apprehendi, orique commodè ingeri poſſit. In quo chylificationis primordia quærenda ſunt, quia dentium ope cibus non ſolùm conteritur & confringitur, ſed etiam ſalivæ vi fermenteſcibili ita imprægnatur, ut poſtmodum fermentatio

tatio in ventriculo citius & felicius peragi poſſit.

§. 2. Totum hoc negotium merè mechanicum eſt. Stant in acie dentes, qui cibum confringunt: glandulæ ſalivales fermentum lachrymantur: lingua miſcet: faucium muſculi cibum maſticatum per gulam deſcendere cogunt; quod ſi unum ex his deficiat, ipſa chylificatio non parum inde labefactatur; tantum enim abeſt, ſalivam humorem eſſe excrementitium, ut potiùs primum naturæ menſtruum audire mereatur. Et quamvis inſipida videatur, habet tamen in receſſu particulas volatiles, acidas & ſalinas, quæ à poſteriori facilè probari poſſunt; pollet enim ſaliva vi abſterſivâ ſaponariâ, ſanat vulnera, necat araneas, Mercurium figit, Veneris veſtigia lapidi lydio impreſſa delet, farinam, ſi ipſi miſceatur, fermentare facit, & ubi deficit, ut in febricitantibus, omnis languet appetitus, totamque maſſam ſanguineam ab indole ſua degeneraſſe indicatur.

§. 3. Ipſa etiam maſticatio valdè neceſſaria eſt, nam decem boli bene maſticati & ſalivali menſtruo humectati felicius poſtmodum in ventriculo coquuntur, quàm unus non maſticatus, hinc fortè eſt, quòd voraces tot morbis corripiantur, quia cibum vix ſemicontritum deglutiunt,

tiunt, quia non niſi in maſſam viſcidam mutari poteſt.

§. 4. Excipitur cibus à ventriculo, ibique non per elixationem ſed per fermentationem à variis cauſis concurrentibus in Chylum ſeu maſſam cineritii coloris mutratur. Cauſa efficiens principalis eſt Materia ætherea, omnium fermentationum author, quæ tum in ventriculi fermento ſeu menſtruo gaſtrico, tum in poris cibi conſtituta motum illum inteſtinum in maſſa fermenteſcibili facilè producit. Concurrunt vapores ſeu corpuſcula (Calor partium circumjacentium) à vicinis partibus, Hepate puta, Liene, omento &c. exſpirata, quæ ventriculum per poros foras intus ſpectantes ingrediuntur, & occurrentium particularum motum non parum augent: Neque ſaliva ex cauſarum numero proſcribenda, quæ ut ſuperiùs dictum & ſuum confert ſymbolum, conferens aquam copioſam, & paucas particulas ſalinas.

§. 5. Ventriculus in ſe conſideratus inſtar ollæ eſt, qui ſtructurâ ſuâ, non verò peculiari aliqua virtute vel neſcio qua facultate, opus hoc promovet, quatenus conveniens turgeſcenti materiæ præbet ſpatium, & per glandulas ſuas liquorem acido-ſalinum tranſmittit, inque rugis & plicis ſuis reliquias chyli aceſcentes

recon-

recondit, ut fermentatio pro nutu abſolvi poſſit.

§. 6. Ipſum fermentum ex ſanguinis arterioſi particulis valdè activis, cibi reliquiis, ipſaque ſalivâ componitur, iisque conſervatur, hinc quoties ventriculi imbecillitas inculpatur, toties ad ipſum ſanguinem reſpiciendum, qui ſi bonus ſit, bonum largitur fermentum; ſi intemperie laboret, & hoc minùs temperatum erit, à quo ſi chylificatio poſt non ritè peragatur, ipſe etiam ſanguis erroris hujus gravitatem luere ſolet. Hinc eſt, quòd multi morbi chronici ſuas radices habeant in ventriculo, quia qualis chylus, talis ſanguis, & qualis ſanguis, talis liquor ſtomachalis. Hoc fermentum in ſtatu naturali valdè temperatum eſt, ita tamen, ut in eo pro diverſitate ſubjectorum nunc ſalinæ, nunc acidæ præpolleant partes; ſicque dari poteſt ratio, quare quod huic nocet, alterum juvat, & quòd multi meliùs ferant & digerant cibos ſale conditos, fumo exſiccatos, quàm carnes molliores, & aliàs facilè digeribiles.

§. 7. Hactenus acriter diſceptatum fuit, utrum chylificatio fiat per elixationem, an verò per fermentationem? Qui coctionem per elixationem fieri contendunt, refugium ultimum quærunt in calore animali vires elementorum ſuperan-

ſuperante, & in facultate chylo πεπτικῇ. Verùm eo ipſo fatentur, ſe ignorare, quomodo coctio fiat, & quare ita fiat. E contra! qui fermentationem defendunt, vocatô in ſubſidium Elementô illô valdè activô, materia ſubtili, omnes tollunt difficultates; Et quidni fiet coctio per modum fermentationis, cum ſolida corpora brevi & ſpatio aliquot horarum in ventriculo in pultem redigantur, quod per elixationem nunquam fieri poteſt. Deinde metalla quædam, præcipuè autem martialia aſſumta tanta cum vi roduntur, ut odorem non adeò gratum & ſulphureum ſpirent, ac ſi ſpiritus nitri limaturæ ferri affundatur, quod ſolus calor, quicunque etiam concipiatur, nunquam præſtabit.

§. 8. Eô ipſô corruunt facultates tum inſitæ, tum communes, chylificandi nempe, ſanguificandi, coctrix, retentrix, expultrix, attractrix, quæ commentitiæ ſunt, & inter non Entia olim à nobis relata fuêre. Anima enim ventriculo nullam largitur facultatem, neque ipſius actionis conſcia eſt, & ventriculus benè diſpoſitus ſemper chylificat, ſive anima id velit, ſive non velit. Deinde ex antedictis patet, quòd ventriculus nil conferat, niſi quod ſuæ texturæ & fabricæ acceptum ferendum. Et attrahere, retinere, expellere &c.

Sunt

Sunt termini, qui cognitionem quandam & electionem præſupponunt, quam ſi organis tribuere velimus, quæ non abſurda inde ſequentur? Itaque ſciendum, per facultatem non vim aliquam ſuperadditam ab anima, ſed virtutem immediatè a textura & fabrica partis dependentem intelligi debere, quemadmodum clavis facultatem habet aperiendi ſeram, hocque ſola ſua textura præſtat.

§. 9. Chylus in ventriculo elaboratus per orificium ejus inferius, pylorus dictum fluens, ingreditur inteſtina tenuia, quorum primum eſt duodenum, ubi dilutus magis ac fuſus à ſucco pancreatico & bile, quoad ſubtiliorem ſuam partem vaſa lactea ſubit, fæculentior verò pars motu inteſtinorum periſtaltico ulterius preſſa fœces alvinas conſtituit.

§. 10. Succus pancreaticus ſalivæ valdè analogus eſt, qui in pancreate, glandula conglomerata, elaboratur, & per proprium canalem, ductum Wirſungianum ab Authore ſic dictum, ad inteſtina tenuia defertur.

§. 11. Bilis verò oleoſa magis & ſulphurea eſt, quæ in Hepate beneficio acinorum glanduloſorum è ſanguine ſeparatur, ut ſecretionem chyli à fœcibus in inteſtinis promoveat; unde non ſolum è veſicula fellea per ductum choledochum inteſtino duodeno communicatur,

ſed etiam immediate ex Hepate eò tranſmittitur.

§. 12. Advertendum autem, quòd ſedata fermentatione fibræ ventriculi iterum coëant, & ſic ipſius chyli egreſſum facilitent, accedit motus diaphragmatis, qui non ſolum chyli iter per vaſa lactea, ſed ejus quoque aſcenſum per ductum thoracicum promovet & conſervat, cui motui chylus eò facilius auſcultat, quia in itinere à lympha undiquaque adducta valdè diluitur, ut fluidior eò facilius iter ſuum emetiri poſſit.

§. 13. In his vaſis Chylus præ ſe fert colorem lacteum, quia id, quod ſequeſtratis fœcibus reſiduum eſt, & aqua diluitur, facilè albeſcit, prout in oleoſis & reſinoſis hoc ferè ſemper fieri ſolet.

§. 14. Delatus ſic chylus una cum lympha ad venam ſubclaviam, miſcetur cum ſanguine per venas refluo, & unà per venam cavam dextrum cordis ventriculum ingreditur, ut ibidem prævia rarefactione mutetur in ſanguinem.

§. 15. Fit illa ſanguinis rarefactio à plurimis cauſis. Confluit hîc diverſi generis materia ætherea, chyli nempe, lymphæ, ſanguinis refluentis, nec non ſubtilioris illius in corde adhuc reſidui. Symbolum addunt ſubtiliores iſtæ partes

iſtæ partes ex arteriis coronariis in cordis muſculum effuſæ, ipſoſque ventriculos penetrantes, quæ ſicut calor partium ventriculo vicinarum chylificationem, ſic motu ſuo velociſſimo hîc ſanguificationem promovent. Cor autem non ſolùm inſtar vaſis chymici ſpatium confert, ſed motu ſuo perenni ſanguinis ingreſſum & egreſſum conſervat, ut propterea rectè inter muſculos recenſeatur, & ex robuſtioribus fibris, quæ à Lowero & Stenonio depinguntur, compoſitum ſit.

§. 16. Hic motus duplex eſt, ſyſtole nempe & diaſtole. In ſyſtole mucro cordis verſus baſin contrahitur, hinc ejus ventriculi eô momentô valdè intumeſcunt à ſanguine rarefacto, plus quàm centies majus ſpatium affectante, dilatati. Verùm cum tonus hujus muſculi illi dilatationi reſiſtat ob humorum circulantium copiam, & ſpirituum animalium affluxum, fibras parenchymatis inflantium, renixus quidam fit, ut eo ipſo momento ſanguis rarefactus qua data porta in arteriam pulmonalem è dextro cordis ventriculo, in aortam autem è ſiniſtro expellatur, dum eodem fere tempore exinanitis ſic ventriculis recens ſanguis per venam cavam dextrum, per venam pulmonalem autem ſiniſtrum cordis ventriculum ingrediatur, qui motus cordis diaſtole vocatur.

§. 17. Subitanea illa effervescentia ſimilis ferè eſt pulveris Pyrii accenſioni, quam optimè CORDEMOY explicat, inquiens: *Interdum liquor incidit in maſſam ejusque interſtitia vel poros ita occupat, ut ſpatiola relinquantur ſoli materiæ ſubtili replenda, inde motus varius particularum tam liquoris, quàm maſſæ, donec omnes pori à liquore ſint occupati, ut videre eſt in calce viva aqua affuſa. Sic portio ſanguinis ſubtiliſſimi remanens in corde, quàm primum per venam cavam recens admittitur, ſupervenientium particularum intervalla ſubit ita, ut ſola materia ſubtilis in iis relinquatur, qua ſanguinis particulas tam ſubitò ac opportunè calefacit, ut cor ſeſe comprimens, eas in ambas arterias expellat vehementer.*

§. 18. Videndum porrò, unde color iſte rubicundus oriatur, cujus cauſam dicimus eſſe, quod globuli ætherei [materia ſecundi elementi] in ſanguinis ſuperficie materiæ ſubtiliſſimæ, quæ ibidem continuò ac celerrimè ex hiſce poris in alios ſat obliquè tranſit, occurrentes, ejuſdem impetu ac communicato motu circa centra ſua multò celeriùs & expeditiùs rotantur, quàm lineâ rectâ moveri pergunt, hinc corpus illud, à cujus ſuperficieculis hi globuli ita repercutiuntur, nobis rubrum apparet. Neque profectò tantoperè admirandum, quòd corpo-

ra

ra albicantia tam breui temporis ſpatio rubeſcant, cùm id in chymicis prævia digeſtione ferè ſemper contingat, quando ſulphurea cum alkalicis digeruntur, vel etiam acida his affunduntur, prout videre eſt in Tinctura Tartari, oleo Terebinth. ſaccharo Saturni affuſo, & ipſis etiam Julapiis, ex ſpir. Vitrioli inſtillatione valdè rubeſcentibus.

§. 19. Neque tamen putandum, omnem chylum unico illo per cor tranſitu in ſanguinem mutari, quin potiùs ſtatuendum eſt, non ſolùm ſalem Nitroſum in pulmonibus ab aëre ſuppeditatum colorem iſtum purpureum exaltare, ſed ipſam etiam mixtionem, quæ inter circulationem continuatur, ſanguinis ſuperficiem huic Phœnomeno exhibendo convenientem magis magiſque adaptare. Et quid multa dicam, cùm omnes liquores rubicundi ex affuſione albicantis intentiùs rubeſcant, quod in ſanguine calido ex affuſione lactis fieri quotidiè videmus?

§. 20. Quòd verò nullam hîc calidi innati, tum humidi primigenii mentionem fecerim, non tam oblivioni quàm famoſæ iſtius doctrinæ falſitati acceptum ferendum. Ridiculum equidem eſt, credere velle, calidum quoddam innatum ipſo in corde à prima nativitate ad decrepitam ætatem uſque reſidere, lam-

padem vitæ unà cum humido primigenio ibidem conſervans. Cùm tamen caloris eſſentia non in quiete & ſtabilitate, ſed continuâ eâque variâ particularum agitatione conſiſtat, quæ cùm continuo tenues abeant in auras & novæ accedant, ſemper producitur, nec idem, ut ita loquar, numero manet; ſicuti eundem fluvium non ſemper video, quia ejus particulæ citò citius oculis meis ſubducuntur, & recentes ſuccedunt. Adeoque falſum eſt, dari calidum inſitum, ſed omne quod eſt influens, nec aliud quid hîc per calidum innatum intelligendum, quàm fermentum illud cordis, quod dicimus eſſe portionem reſiduam ſanguinis rarefacti, intra columnas remanentis, cui in qualibet diaſtole novus ſuccedit. Humidum primigenium autem eſt chyloſa illa ſeu lactea ſanguinis pars, omnes totius corporis partes nutriens, quæ ſi deficiat, omnes partes marceſcunt, tandemque emoriuntur, ut in hectica videmus.

§. 21. Videndum porrò, quid ſanguini in pulmonibus accidat, quorum ſubſtantiam ſpumoſam vel ſpongioſam eſſe notum eſt, ſiquidem juxta MALPIGHIUM & WILLISIUM ex innumera cellularum congerie conſtent, ut vaſa ſanguifera ſuffulciantur, & aër per inſpirationem attractus (ſit venia verbo) ibi-

dem

dem recondi & cum ſanguine miſceri queat, cujus ſal nitroſum non ſolùm, ut jam ante dictum, colorem ſanguinis exaltat, ſed eum etiam ita diſponit, ut in ſiniſtro ventriculo majori cum impetu effervefcat. Neque tamen dubitandum, quin fuliginoſa quædam effluvia per exſpirationem è pulmonibus excludantur, & in ſtatu morboſo per hanc viam miaſmata fermentativa adſtantibus facilè communicentur, ſimilem turbationem in ipſorum ſanguine excitantia.

§. 22. Habent ſe pulmones hoc in negotio merè paſſivè, quatenus in inſpiratione ab aëre inflantur,& ſic diſtenduntur, in exſpiratione autem à diaphragmate compreſſi iterum collabuntur. Præcipuum verò reſpirationis organum dicimus eſſe diaphragma, quod cùm muſculus ſit, hoc cum aliis etiam commune habet, ut motui dicatum ſit. Quandoquidem à ſpiritibus animalibus inflatum coſtas, & abdominis muſculos cedere cogit, qui ambientem aërem eô ipſô momentô ita premunt, ut per aſperam arteriam ingrediatur, & ſic fit inſpiratio, quatenus omnis motus fit in circulum. Verùm cùm aëris gravitas obſtet, thoraci & abdomini plus ſolitò elevato reſiſtat, ipſum tandem diaphragma iterum relaxatur à ſua tenſione & inſimul aër in pulmo-

nibus ab illa preſſione regreditur, ſicque fit exſpiratio.

§. 23. Itaque ſanguis in ſiniſtro cordis ventriculo rarefactus arteriam magnam ingreditur, per cujus ramos & ſuperioribus & inferioribus corporis partibus diſpenſatur. Et ne à corde remotus facilè abeat in coagulum, videtur in liene nova ipſi accedere vis fermentativa, partim à ſpiritibus animalibus copioſius eò affluentibus, partim à particulis ſanguinis in anguſtiſſimis hujus viſceris interſtitiis remanentibus. Si enim ipſius lienis fabricam inſpiciamus, illum ex innumeris vaſorum filamentis conflatum eſſe apparet, fortè nullum alium ob uſum, quàm ut ſanguinis mixtioni accuratiori inſerviant, id quod morbi ſplenetici vulgò dicti magis magiſque confirmant. Atque adeò non poſſumus non, quin veteres alioſque hic erroris convincamus, qui vel humoris melancholici ſecretionem in liene fieri, vel fermentum aliquod eſurinum ventriculo ab eo afflari ſtatuerunt.

§. 24. Cùm etiam ſanguis multas particulas aquoſas contineat, in quibus ſalinæ facilè diſſolvuntur, & illæ his pro vehiculo inſerviant, ſolet natura ſeroſam iſtam portionem ſanguinis hic inde deponere, idque minimarum glandularum tubulis excretoriis præditarum

rum beneficio, inde ſudores ex corporis ſuperficie promanantes & ipſa inſenſibilis transſpiratio ortum ducunt: exigua quoque hujus ſeri portio è glandulis miliaribus inteſtinorum, quas Anatomicus Regius DU VERNEY demonſtrat, effunditnr, pro diluendis fœcibus alvinis, quæ ſi aliò transfertur, ut in ſudatoribus, ſputatoribus. aliiſque obſervare licet, alvus adſtricta redditur, & fæces valdè indurantur: maxima autem pars ſeri in renibus ſegregatur, & urinam conſtituit, de quibus nunc dicendum.

§. 25. Horum fabrica prius addiſci debet ex BARTHOLINO, vel notis ad VESLINGIUM, ad mentem BELLINI; ſic enim reperies tubulos adeò anguſtos una cum carunculis parenchyma renum conſtituentes, ut ſanguis per arterias emulgentes eô delatus tranſire nequeat, ſed ſeroſæ ſaltem partes ab illis recipiantur, & in pelvim exſtillent, quarum ſecretio promovetur à Tinctura lixivioſa ſive urinoſa, qua jam tum renes imprægnati ſunt, quæ tinctura proprii fermenti nomen meretur.

CAPUT QUARTUM.

De Spiritibus.

§. 1.

Spiritus in corpore noſtro eſt corpus volatile; ſola enim ſubtilitas ſufficit ad eſſe ſpiritum.

§. 2. Eſtque duplex vitalis & animalis.

§. 3. Vitalis nihil aliud eſt, quàm ſanguinis pars ſubtilior, adeoque recte anima corporis vocatur, utpote, quæ juxta ſacrum codicem eſt in ſanguine, de cujus generatione præcedenti capite egimus, & plura capite de temperamentis dicturi ſumus.

§. 4. Spiritus animalis in eo differt à vitali, quòd non ſub forma ſanguinis, ſed ſub forma auræ inſenſibilis incedat, adeoque gradu ſubtilitatis ab eo differt, & generatur in ipſo cerebro, beneficio porulorum plexus choroidei, per quos in ipſos cerebri ventriculos exſtillat. Modum generandi ſuppeditat nobis acutiſſimus CARTESIUS. *Conſiderandum eſt*, inquit, *vividiores & ſubtiliores omnes partes ſanguinis quas calor in corde rareſecit, ingredi indeſinenter & maxima cum copia cavitates cerebri. Ideò autem*

eà

eò potius commeant, quàm aliò, quòd omnis ſanguis, qui è corde egreditur per magnam arteriam, dirigat ſuum curſum rectâ lineâ in eum locum; & cùm non poſſit totus ingredi, quia viæ valde anguſtæ ſunt, partes ejus magis agitatæ & ſubtiliores tranſeunt ſolæ, dum reliquæ ſeſe diffundunt per omnes corporis partes. Hæ autem partes ſanguinis ſubtiliſſimæ componunt ſpiritus animales, nec eum in finem ulla alia egent mutatione in cerebro, niſi quòd ibi ſeparentur ab aliis ſanguinis partibus minus ſubtilibus. Nam quos hic ſpiritus nomino, nil niſi corpora ſunt, & aliam nullam habent proprietatem, niſi quòd ſint corpora tenuiſſima & quæ moventur celerrimè inſtar partium flammæ ex face exeuntis. Hucuſque ille. Neque tamen dubitandum eſt, quin multæ partes craſſiores unà cum hiſce ſubtilioribus aſcendant, quæ partim nutritioni impenduntnr, partim per vaſa lymphatica revehuntur, partim etiam ad baſin narium & palatum deponuntur. Liquoris vitalis uſum dicimus eſſe conſervare ſanguinis circulationem & calorem ſuppeditare, Spiritus autem animales præſunt motui & ſenſui, & pondus addunt omnibus totius corporis partibus bene diſpoſitis.

§. 5. Alii dicunt quatuor eſſe ſpiritus, Naturalem, animalem, vitalem & genitalem: Naturalem reſidere in ventriculo & hepate, vitalem

talem in corde, animalem in cerebro, & genitalem in teſtibus. Verùm cum hæc diviſio falſa nitatur hypotheſi & entia non ſint multiplicanda præter neceſſitatem, in unicâ hâc diviſione ſpirituum meritò acquieſcimus.

§. 6. Et cùm ſenſus ſpirituum animalium & nervorum ope exerceantur, etiam de his quædam dicenda veniunt: dividuntur autem vulgò in externos & internos; externorum dicunt eſſe quinque, internorum tres.

§. 7. Tria autem in ſenſibus externis præcipuè notanda ſunt: Receptio ſimplex, perceptio, & judicium, quæ duo poſteriora immediate ſpectant ad animam. Receptio merè organica eſt, hujuſque intuitu dicere poſſumus unum ſaltem dari ſenſum externum, nempe ſenſum tactus, quia omnis receptio fit per contactum.

§. 8. Viſus eſt ſenſus externus, quando ab objecto viſibili radii luminares reflexi incidunt in oculum, ejuſque tunicam in fundo oculi ſitam, quæ retina vocatur, eſtque expanſio nervea, certo afficiunt pulſu contactu vel motu, quæ impreſſio ope nervorum opticorum & ſpirituum animalium illos irradiantium delata ad ſenſorium commune ab anima percipitur,

tur, eaque nunc de objecti conditione judicium fert, & ſic videre dicitur.

§. 9. Auditus fit, quando aër percuſſus motum talem diſtinctè imprimit auditus organo, ex membrana tympano, tribus oſſiculis, & nervo auditorio conſtanti, ad quod tamen negotium reliquus apparatus & elegans totius auris ſtructura requiritur.

§. 10. Olfactus fit, quando effluvia odorifera mediante aëre impetum faciunt in tunicam nerveam narium.

§. 11. In Guſtu filamenta nervea linguæ tanguntur & pulſantur à corpuſculis, plus minùs rigidis, ſalivæ innatantibus, & fibrarum interſtitia divellentibus.

§. 12. In Tactu rete illud mirabile cutis afficitur ab Objecto tangibili, & quod levis pruritus & titillatio eſt in cute nervea, hoc eſt gratus ſapor in lingua, & placidus ſonus in aure.

§. 13. Senſus interni ſunt, ſenſus communis, phantaſia & memoria. Senſus communis vel potius ſenſorium commune eſt glandula pinealis. Phantaſia eſt certa ſpirituum animalium radiatio ſuper glandulam pinealem. Vel quando mens utitur ſpiritibus animalibus, ut objectum abſens tanquam præſens conſideret. Memoria conſiſtit in impreſſione veſtigiorum

in

in cerebrum, quæ ſpiritus animales in ea incidentes eandem curſus formam recipere faciunt, & ſic eædem ideæ in mente iterum producuntur.

§. 14. Senſuum tàm externorum quàm internorum Affectiones ſunt ſomnus & vigiliæ: Somnus fit, quando cerebrum blandè ſubſidet, ejuſque pori plus connivent quàm patent, omneſque fermentationes comparativè loquendo debiliores ſunt.

§. 15. Status vigiliarum eſt, quando cerebrum cum toto ſyſtemate nervino valdè inflatur, omneſque fermentationes fortiores ſunt.

§. 16. Et quia generationis negotium per liquorem vitalem & animalem omnium optimè explicari poteſt, ſpiritum genitalem tanquam diverſum ab his non concipimus, ſed ope fermenti ſeminalis in teſtibus phœnomena in quantum hîc licet explicare conamur.

§. 17. Generatur autem ſemen nonniſi apparentibus jam annis pubertatis, quia tunc teſtes nacti ſunt poros magis ſtabiles, quos certa materia primi elementi, ut cum Acutiſſimo DN. CRAAN loquamur, permeat, certaſque ſanguinis particulas eò rapiens, fermentum iſtud ſeminale producit, quod liquoris genitalis

nitalis è ſanguine ſecretionem inſtituit, concurrente artificioſa iſta vaſorum ſeminalium ſtructura, cui poſt in teſtibus ſpiritus animales fœcunditatem addere videntur.

§. 18. Emittitur itaque pro conceptione futura ſemen ab utroque ſexu, quæ confuſa fermentationem juxta leges, ab ipſo Deo in primo illo mandato creſcite & multiplicamini præſcriptas, inſtituunt, hacque actione aliquot dierum ſpatio ſubtilior ſanguinis pars in punctum rubicundum ſaliens [ſanguinem] mutatur, dum interea, prout in quavis fermentatione id fieri ſolet, partes craſſæ & viſcidiores à centro verſus ambitum recedunt, & parenchyma cordis nec non vaſa ſanguifera & ipſas membranas conſtituunt, quæ fœtum in utero cingunt & humorem lacteum continent.

§. 19. Sed quid de generatione ex ovis ſtatuendum? Hæc Neotericorum opinio facilè cum veterum ſententia conciliari poteſt. Quid enim ovum aliud, quàm albumen cum vitello peculiari membrana incluſum? ut hâc ratione veſiculæ ſeminales in teſtibus muliebribus ſeu ovario nil niſi ova ſint, quorum unum [non rarò etiam plura] in coitu ab aura ſeminali virili afflatum fermentare incipit, ut paucorum dierum ſpatio omnium ferè partium rudimenta deli-

delineentur. Quæ partium diſpoſitio nunc parenti nunc matri ſimilior, prout nunc aura ſeminalis virilis, nunc liquor genitalis muliebris in illa effervefcentia prædominium obtinet.

§. 20. Materia autem ex qua partes corporis fœtus formantur, nec ſemen eſt, nec ſanguis menſtruus: ſed lac vel chylus, qui eô tempore copioſius per glandulas uteri tranſcolatur tùm pro fœtus incremento, tùm etiam pro ejus nutritione.

§. 21. Abſurdum equidem eſſet, velle ſtatuere fœtum ſanguine materno nutriri, cùm tanta apud omnes ſit ſanguinis averſio, ut nemo unquam eum appetat. Adeoque rationi magis congruum videtur non ſolùm, ſed ipſa etiam experientia teſtatur, fœtum per os lacte nutriri, & liquorem illum cui innatat, maximam partem lac eſſe.

§. 22. Quoniam etiam ſanguis in fœtu non per pulmones circulatur, prout apud Anatomicos videre eſt, nequaquam dici poteſt, fœtum in utero reſpirare, cùm frequentiùs obſervatum ſit, pulmones fœtus, lucem nondum experti, nunquam fuiſſe dilatatos.

§. 23. Quæritur etiam, utrum duæ vel tres ſint membranæ fœtum involventes? Reſp. Si duplicaturam membranæ chorion dictæ admittamus,

mittamus, tertia allantoides nempe ſub hac comprehenditur, adeoque ſaltem duæ ſunt, Chorion & Amnios.

Caput Quintum.

De Partibus Corporis Humani.

§. 1.

Machina humana ex variis componitur partibus, quæ nec ejuſdem ſunt texturæ, nec iiſdem functionibus deſtinantur. Definitur autem pars, quæ cum aliis totum componit.

§. 2. Partes ſunt vel inſenſibiles vel ſenſibiles, cujus diviſionis fundamenta apud HIPPOCRATEM *lib. de veteri Medicina* habentur, quando dicit, multas partes in corpore noſtro eſſe inconſpicuas.

§. 3. Inſenſibiles partes adeò exiguæ ſunt, ut ſenſus noſtros fugiant & ſolâ ratione percipiantur, unde intelligibiles vocantur, per has ſpiritus animales, nec non omnes ſanguinis & Medicamentorum qualitates optimè explicantur.

§. 4. Senſibiles ſunt, quæ ex inſenſibilibus componuntur & ſenſus incurrunt, ſuntque contiguæ, non continuæ.

§. 5. Porrò partes ſunt vel ſpermaticæ vel ſanguineæ; ſimilares vel diſſimilares; Organicæ vel Inorganicæ; Principes vel minùs principes: Quæ diviſiones vel falſa nituntur hypotheſi, qualis eſt illa in ſpermaticas & ſanguineas. Vel non uſque adeò ſunt neceſſariæ, & ſæpius de principatu contenditur, ubi nulla pars præ alia prærogativam habet.

CAPUT SEXTUM.

De Temperamentis & Nutritione.

§. 1.

Temperamentum eſt Qualitas ex mutua actione potentiorum ſalium ſanguinis, nec non ex filamentorum partium ſolidarum diſpoſitione orta. Vel eſt certa quædam corporis diſpoſitio, à ſanguinis mixtione & fibrarum textura dependens.

§. 2. Temperatum illud corpus vocatur, in cujus ſanguine proportionatus particularum eum conſtituentium ordo reperitur, ut propterea nulla qualitas excedat. Hinc palam fit, quid de temperamento ad pondus ſit ſentiendum, quod rara eſt avis & fortè nunquam extitit, quin potiùs

potiùs omne temperamentum erit temperamentum ad juſtitiam.

§. 3. Dividitur vulgò Temperamentum in calidum & humidum, calidum & ſiccum, frigidum & humidum, frigidum & ſiccum. Vel juxta humores in ſchola Galeni natos & enutritos, in Sanguineum, Cholericum, Phlegmaticum & Melancholicum. Vel ſecundum Aſtrorum influxum in Solare, Lunare, Joviale, Martiale, Saturninum, Mercuriale & Venereum.

§. 4. Diximus autem in definitione, Temperamenta potiſſimùm à ſanguine, hoc eſt liquore vitali & animali dependere, cujus natura faciliùs à nobis cognoſcitur, ſi attendamus, maſſam illam ſanguineam ex indefinitis particulis conſtare indefinitæ figuræ, motus & magnitudinis. Quod ſi hic numerus ex tot conſtet particulis ſalinis, acidis, guminoſis, aqueis, inſipidis & aliis, quot requiruntur ad ſanguinis temperiem legitimam, tunc demum ſanguis audit bene conſtitutus. Eædem particulæ aliter atque aliter figuratæ & diverſâ magnitudine præditæ variis ſuis extremitatibus & eminentiis varios poros, variaque interſtitia efformant; ut materia mundi ſubtiliſſima nunc parciùs nunc copioſius, nunc citiùs nunc tardius per ea fluere neceſſitetur, unde etiam ipſe ſanguis nunc velocius exagitatur, unde in corpore temperamen-

tum calidum exſurgit; nunc verò ſegnius movetur, unde temperamentum frigidum ortum ſuum habet.

§. 5. Obſervari etiam velim filamenta partium ſolidarum ab humoribus præterfluentibus tremulô ſemper cieri motu, ad quos motus mens non attendit, quia de conſuetis non judicat. Quòd ſi motus iſte tremulus intendatur, valdéque augeatur ab humoribus rapidô motu impetum facientibus, tunc demùm dicimur incaleſcere. Sin verò motus iſte tremulus impediatur, tum frigus percipimus.

§. 6. Ex quibus nunc facilè deduci poteſt, unde diverſa oriantur temperamenta. Si enim v. g. particulæ tenuiores ſulphureæ & valdè fermenteſcibiles in ſanguine prædominium obtineant, in his magnus erit calor, pulſus vehementior, ſomnus brevior, facies cum virore pallida, qualem Judæi habere ſolent. Et qui talem ſanguinem habent, dicuntur eſſe temperamenti Cholerici vel Bilioſi; quòd ſi verò particulæ aquoſæ, craſſiores & crudiores reliquas ſuperent, oritur inde temperamentum Phlegmaticum, & qui tali præditi ſunt, ſæpiſſimè ſputant, facilè frigent, ſunt ſomnolenti & ingenii tardioris, habitus corporis mollis eſt, cum exiguis vaſis ſanguiferis. Tandem ſi particulæ viſcidæ intermixtis ſalinis acidis fixis præ aliis in ſanguine

guine caput extollant, temperamentum inde exortum vocatur Melancholicum.

§. 7. Enimverò quia iſtæ denominationes fundamentum ſuum non tàm in ratione, quàm in teſtimonio ſenſuum & in relatione ad alia corpora habent, inſuper qualitates iſtæ non primæ ſed omnium infimæ & ultimæ ſunt, tota hæc doctrina infirmô videtur ſtare talo, & fortè rectiùs & meliùs temperamenta dividi poſſent in Acidum, Salſum, Aquoſum, fixum, volatile &c.

§. 8. Pari facilitate alterum fundamentum concuti poteſt, dum Veteres juxta quatuor humores ex quibus ſanguinem componi putant, temperamenta denominant. Nunquam enim hactenus ſolidè probari poterit, humores iſtos ſanguini bene diſpoſito formaliter ineſſe, & experimentum illud in ſanguine per venæſectionem inſtituto anile eſt. Poſitô enim ſanguinem in diverſos tunc præcipitari humores, nequaquam tamen inde concludere licebit, eos anteà tali ſub facie ſanguini inexſtitiſſe, quia hîc ſanguis non amplius bene diſpoſitus eſt, dum avolantibus ſtatim particulis volatilioribus & aëre externô impetum in eum faciente valdè quoad ordinem & mixtionem particularum turbatur. Et quamvis hoc inficias ire nolim, ſanguini ineſſe moleculas aquoſas, particulas bilioſas, aliaſque

omnes tamen inter ſe invicem ita mixtæ ſunt, ut bilis quà bilis, phlegma quà phlegma, nunquam in ſtatu naturali oſtendi poſſint, adeoque ſi inſunt ſanguini, inſunt materialiter, non formaliter.

§. 9. Alteram cauſam efficientem temperamentorum diximus eſſe texturam & diſpoſitionem fibrillarum: hæ enim prout plus minus ſubtiles, tenſæ, laxæ, vel mobiles, impreſſiones & motus ipſis illatos non parùm modificant, unde variæ oriuntur idioſyncraſiæ, & quædam corpora nunc faciliùs, nùnc difficiliùs motibus auſcultant. Accedit hæreditarius quidam character, qui in eo potiſſimùm conſiſtit, quòd quoties ſimilis motus his vel illis organis imprimatur, qualis impreſſus eſt olim in utero à matre, toties eædem ſequantur cogitationes, & vice verſâ, donec longâ conſuetudine, continuo ſtudiô & vi quaſi illa diſpoſitio deleatur. Hinc eſt quòd multi non poſſint ferre caſeum, feles, quodque tàm variæ Antipathiæ & Sympathiæ etiam in microcoſmo quotidiè exoriantur.

§. 10. Neque omni caret ratione ipſa etiam ſydera diverſis ſuis aſpectibus, conjunctionibus, oppoſitionibus ad hujus vel illius temperamenti mutationem & productionem quid conferre poſſe. Quis enim non videt cereviſiam hôc vel illò anni tempore citiùs aceſçere, quàm aliô?

Simili

Simili fortè agendi modô iſte influxus ſyderum fermentationem illam liquorum genitalium ita modificare poteſt, ut alia oriatur qualitas, quàm ſi fermentatio hæc juxta ordinarias leges eſſet & inchoata & abſoluta. Nec omnia illa vana ſunt & ſuperſtitioſa, quæ de themate natalitio aliàs dici ſolent, modò à nimia credulitate, ſuperſtitione gentili & aliis ſuavioribus inſomniis nobis ſedulò caveamus.

§. 11. Et quia temperamenta maximam partem à corporibus fluidis dependent, hinc variis viciſſitudinibus & mutationibns ſunt obnoxia, & facilè ſecundùm ætatem, anni tempora, & regionum diverſitatem mutari poſſunt. Attamen frequentior & notabilis aliqua mutatio quatuor præſertim ætatis noſtræ terminis obſervatur. Nempe in infantia, quæ ad annum 7. & 14. ſe extendit. In adoleſcentia, quæ annô 25. & 35. terminatur. In ætate media, quæ durat ad annum quinquageſimum, & in ſenectute, quæ ad finem vitæ uſque extenditur, ſub ſe continens viridem, mediam & decrepitam.

§. 12. Reſtat, ut doceamus, quomodo machina corporis noſtri non ſolùm augeatur, ſed quomodo etiam in tali ſtatu conſervetur, unde de augmentatione & nutritione quædam dicenda veniunt. Ubi concipere debemus, quòd

omnes arteriæ, eò ipſo momènto, quô intumeſcunt, poros magis patulos nanciſcantur, per quos tunc ſanguinis partes chyloſæ unà cum multis aquoſis in tubulos partium ſolidarum ingrediuntur, quarum aliquæ ſuperficierum ſuarum ſimilitudine partibus facilè adhærent, ſicque & nutriunt & augent. Quædam verò præ aliis magis volatiles & celeriùs agitatæ per inſenſibilem illam tranſpirationem tenues abeunt in auras. Maxima verò pars horum humorum circulantium per vaſa lymphatica vigorem jam nacta à ſpiritibus animalibus, alacriter cordi iterùm advehitur & ſanguini denuò confunditur.

§. 13. Quare autem in juventute creſcamus, in ſenectute decreſcamus: Quare etiam nunc pingueſcamus, nunc iterum marceſcamus, hoc ex antedictis pari evidentiâ colligi poteſt. Nam quia fibræ partes ſolidas componentes in annis juvenilibus molliores ſunt, hinc à ſe invicem recedunt & ampliores tubulos efformant, ut lactea illa ſanguinis pars affluat, pluresque particulæ ob ſuperficiei ſimilitudinem juxta illarum radices quieſcant, quàm fuêre exſpiratæ, hinc non ſolùm tunc nutrimur, ſed etiam augemur. Etſi plures partes ramoſæ & pinguiores interſtitia illa muſculorum, aliaque ſubcutanea repleant, inſimul pingueſcimus. Verùm

ſi fibræ

ſi fibræ duriores fiant, tubulique & pori valde anguſtentur, nec commodè dilatari poſſint, inſuper ſuperficies fibrarum nutriendarum atteratur, varieque mutetur, etiam ſuccus nutritius nec ſatis commodè, nec ſatis largiter apponi poteſt, inde partes marceſcunt & corpus noſtrum paulatim ſeneſcit.

§. 14. Verum enim verò multis hoc paradoxum videtur, quòd quaſdam ſanguinis particulas, non verò ſanguinem ſub forma ſanguinis juxta communem & receptam ſententiam nutrire ſtatuamus. Nullus autem dubito, quin ſi rationes ex æquo ponderentur, opinionis hujus veritas & evidentia facilè oſtendi poſſit. Sciendum itaque eſt, ſanguinem ex indefinitis conſtare particulis, non, ut per illas tot diverſi generis partibus nutriendis aptus reddatur, ſed ut vitalis illa fermentatio & itus in orbem conſervetur, ſine quibus nec ſanguinis depuratio, nec corporis nutritio præſtari poſſet; & ſi ſanguis ſub forma ſanguinis nutriret, partes, quæ illis ſanguineæ audiunt, brevi in immenſam excreſcerent molem, quia copioſiſſimô ſcatent ſuccô nutritiô: ipſi etiam pulmones, quos ſanguis largiſſimè alluit, valde pingueſcerent; accedit alia inſuper ratio majoris ponderis & roboris, dum videmus, quod ſanguis nonniſi intra vaſa ſua fluidus maneat, & quamprimum extravaſa-

tur, abit in cruorem & in orbem redire neſcit: neque inſtantia illa magni videtur eſſe momenti, quâ diſtinguunt inter extravaſationem ſanguinis naturalem & præternaturalem, quia omnis extravaſatio ſanguinis ſub forma ſanguinis eſt præternaturalis, neque ſanguis naturaliter extravaſatus [modò hoc unquam fieret] poſt extravaſationem magis fluidus manet, quàm ſi præternaturaliter extravaſetur, uterque enim extravaſatur, ſive fiat nunc naturaliter, ſive præternaturaliter. Quòd ſi ad experimenta confugere velimus, res hæc fiet clarior. Cui enim bono quæſo tanta lactis copia ſanguini ineſſet, quæ facilè etiam ad oculum oſtendi poteſt inſtitutâ ſaltem ſanguinis præcipitatione liquore ad id negotium ſatis apto, ſi ſanguis qua ſanguis nutriret?

Caput Septimum.

De Sanitate.

§. 1.

Sanitas conſiſtit in actionum integritate, quæ ab ordine particularum ſanguinem conſtituentium, nec non legitimâ partium conformatio-

matione dependet. Vel deſcribi poteſt ad mentem Cl. MOEBII, quòd ſit potentia naturalis partium omnium corporis humani, præſertim ſanguinis & liquorum inde dependentium, actiones, quæ ſecundum naturam ſunt, exercendi.

§. 2. Cauſæ ſanitatis ſunt ſanguis dans calorem & vitam, ſpiritus animales vigorem addentes, & legitima cujuſque partis ſtructura. Tantùm.

INSTITUTIONUM MEDICINÆ

LIBER SECUNDUS.

SIVE

PARS PATHOLOGICA.

Caput Primum.

De Morbis.

§. 1.

INSTITUTIONISTÆ ſolent in hac parte tria potiſſimùm deſcribere, Morbum, Symptoma, & Cauſam morbi, eaque diſtinctè tradere, quod fortè magis curioſum quàm utile eſt. Si enim omne illud, quod hominem affligit,

git, ſit morbus, quod HIPPOCRATES vult; quid quæſo opus eſt, ut tantô cum ſtudiô diſtinguamus ea, quæ in ſe invicem non rarò commutantur? Et ſi morbum ſequitur ſymptoma, morbus reſpectu ſymptomatis habet rationem cauſæ, ſymptoma verò eſt productum morboſum, imò ipſe morbus. Quod ſi ſymptomatis detur ſymptoma, hoc erit prioris ceu morbi productum; neque video cùr tantam hic velimus difficultatem & remoram nobis objicere, cum tota illa terminorum turba nihil ad ægrotantis conferat Salutem.

§. 2. Morbus eſt vitioſa partium corporis humani diſpoſitio: vel earundem texturæ convenientis læſio, eas actionibus in œconomia animali edendis ineptas reddens. Si enim ſanitas in convenienti illa conſiſtit textura, morbi in eadem à ſtatu ſuo deturbata quærendi erunt. Neque movet nos, quòd alii morbum per affectum præter naturam, alii per ſubſtantiam, per quantitatem alii, quidam verò per impotentiam definiant: ipſam enim rationem formalem morbi his terminis non exprimunt, vel cauſam cum ipſo effectu confundunt.

§. 3. Morbi dividuntur in morbos Intemperiei, Morbos conformationis, & morbos ſolutæ unitatis. Alii cum HIPPOCRATE volunt, omnes morbos eſſe morbos ſolutæ unitatis,

tis, & poſſe vocari ulcera. *Vide* HIPPOCRATIS *l. d. fracturis.*

§. 4. Morbi Intemperiei propriè & primariò ſunt in ſanguine & ſuccis à ſanguine dependentibus, ſecundariò verò in partibus ſolidis, & conſiſtunt in ordinis particularum ſanguinem componentium turbatione, earundemque figuræ, magnitudinis & motus mutatione, unde partes antea inconſpicuæ fiunt conſpicuæ, & cum potentiores valdeque efficaces ſint, varias producunt Intemperies, quæ ſunt Salſæ, Acidæ, Auſteræ, Amaræ, Pituitoſæ, Bilioſæ, Melancholicæ, viſcidæ, malignæ, contagioſæ, frigidæ, calidæ, ſiccæ, humidæ &c.

§. 5. Quæ de Intemperie ſine materia hic dici ſolent, nunc omittuntur, cum talis non detur in rerum Natura.

§. 6. Et cum omnia phœnomena, in quocunque etiam appareant morbo, ad has intemperies referri, & per eas explicari poſſint, decantatam illam morborum diviſionem in morbos Intemperiei & morbos totius ſubſtantiæ, ceu inutilem & philoſopho indignam rejicimus. Quid enim quæſo morbus totius ſubſtantiæ vel qualitatis occultæ ſtante hac diviſione aliud erit, quam morbus quem curare intendo, ſed quid ſit & quæ ejus ſit cauſa ignoro? Quod ſi venena aſſumpta in corpore noſtro ſimiles excitent

turbas,

turbas, hocque corrodendo, exedendo & ſanguinis mixtionem turbando, unde variæ humorum fiunt præcipitationes, concretiones & ſecretiones, & ſtupenda inde prodeunt phœnomena, quid opus eſt, ut in morbis malignis intellectui noſtro limites ponamus, ubi eadem ſalis maligni plus minus volatilis, ætherem plus minus à naturali & ſanguini noſtro amico degenerem inferentis, vis & efficacia deprehenditur, & omnia ſymptomata æquè facilè per motum, figuram & magnitudinem particularum ſalia illa componentium, explicari poſſunt? Plura hùc facientia dicentur *l.* 5. *de medicamentorum qualitatibus.*

§. 7. Morbi Conformationis conſiſtunt vel in quantitate vitioſa ſecundùm numerum & magnitudinem, vel in qualitate vitioſa ſecundùm figuram in longitudine & ſuperficie.

§. 8. In Morbis Compoſitionis Situs vel Connexionis fit mutatio.

§. 9. In Morbis ſolutæ unitatis continuitas in ſenſus incurrens potiſſimùm attenditur, quæ ſi ſolvatur in parte molli à re ſcindente, fit vulnus: Sin verò ſolutio fiat ab humore acri & corroſivo, fit ulcus. Quod ſi continui ſolutio fiat in parte dura, vocatur fractura. Sin ab humore corrodatur, vocatur caries. Quod ſi pars aliqua à re

con-

contundente lædatur, plaga illa vocatur contuſio, vulgo geqvetſcher.

CAPUT SECUNDUM.

De Accidentalibus Morborum Differentiis.

§. 1.

Morbus eſt vel congruus, ut variolæ in infante, febris tertiana in juvene: Vel incongruus, ut iidem morbi in Sene. Hæc diviſio ad præſagii certitudinem quid confert, quia morbi incongrui plus alunt periculi, quàm morbi congrui.

§. 2. Porrò dividuntur morbi in Morbos Idiopathicos ſive per eſſentiam, & morbos Sympathicos ſive per conſenſum. Morbi per eſſentiam ſunt, ubi jam cauſa in parte affecta ſemper præſens eſt; Morbi per conſenſum fiunt, quando cauſa aliunde tranſmittitur, hique ſi diutiùs durent, ſolent non raró etiam fieri eſſentiales.

§. 3. Conſenſus ille partium juxta GALENUM conſiſtit in continuitate, in familiaritate, quæ eſt inter partes ad unum opus deſtinatas, & in

vicinitate. Hinc admirandus eſt conſenſus inter nervos & partes membranoſas, uterum, inteſtina, ventriculum, diaphragma, cerebrum & meninges. Et cum ſpiritus animales habeant rationem corporis continui, ipſorum ope impreſſiones in momento quaſi toti corpori communicari queunt, quod à rebus fœtidis, graveolentibus & urinoſis aliiſque fieri quotidie videmus. Hinc non ampliùs explicatu eſt difficile, unde in nephritide vomitus, nauſea, anorexia & colica: In paſſione hyſterica vomitus, reſpirandi difficultas & motus convulſivi: In lumbricis inteſtinorum Epilepſia: In dyſenteria ſingultus & difficultas deglutiendi: In Colica icterus, & in aliis alia ſymptomata oriantur. Plura qui velit, legat *caput ſeptimum in* SENNERTI *paralipomenis ad Inſtitut. p. m.* 39.

§. 4. Dividuntur etiam morbi in morbos Epidemicos, quales ſunt febres malignæ, angina maligna, pleuritis maligna, catarrhi ferini & alia. Et in Endemicos, quales ſunt Strumæ, Scrophulæ, Scorbutus, Phthiſis.

§. 5. Tandem morbi ſunt vel chronici, diutius durantes: vel acuti, citò, ſed non citra periculum, ad finem tendentes, quales ſunt Apoplexia, phrenitis, peripneumonia, pleuritis, angina, Paſſio Iliaca, omneſque Inflammationes Eryſipelatoſæ, febres malignæ, ardens, pe-

techialis, Ungarica, variolæ, morbilli, peſtis & alia.

§. 6. His morborum differentiis addunt authores adhuc alias, dum ipſis morbus eſt vel ſimplex vel compoſitus: Univerſalis vel particularis, vernalis, æſtivus, autumnalis, hybernus, hæreditarius intermittens, parvus, magnus, legitimus, nothus, benignus, malignus.

CAPUT TERTIUM.

De Morborum Temporibus.

§. 1.

Morbi Acuti & paroxyſmi febrium intermittentium ſua habent tempora. Naſcuntur, adoleſcunt & tandem ſeneſcunt, vel percurrunt quatuor tempora, principium, augmentum, ſtatum & declinationem, quæ tamen tempora in morbis malignis non ſemper diſtingui poſſunt, qui valdè infidi ſunt, & non rarò ſua tempora æqualiter percurrunt.

§. 2. Diverſitas horum temporum dependet ab efferveſcentiæ & turbationis ſanguinis gradibus, vel potiùs à majori vel minori luctâ materiæ ſubtilis peregrinæ cum materia ætherea natu-

naturæ ſanguinis amicâ, & in ſtatu naturali eum permeare ſolita.

Caput Quartum.

De Cauſis Morborum.

§. 1.

Cauſa morbi alia eſt proxima, alia remota. Alia conjuncta ſeu continens. Alia Antecedens, quæ tandem fit proxima. Alia procatarctica, quæ antecedentem movet, ut fiat cauſa proxima.

§. 2. Morborum cauſæ ſunt ſex res non naturales, Plethora & Cacochymia.

§. 3. Sex res non naturales ſunt Aër, cibus & potus, ſomnus & vigiliæ, motus & quies, excreta & retenta, Animi pathemata. Dicuntur res non naturales, quia corpus non conſtituunt, nec res naturales vocari poſſunt. Neque legitimè adminiſtratæ illud lædunt, unde nec præternaturales dicendæ. Aſt, quia corpus ſine illis conſervari nequit, & ſi in earum adminiſtratione Error aliquis committatur, corpus noſtrum facilè ab illis læditur, vocantur Non naturales.

§. 4. Et quia aëri innatamus, non ſolùm facilè ſubit poros corporis noſtri foris intus ſpectantes, ſed etiam in inſpiratione per canalem ſatis patulum corpus ingreditur, & ſanguinem variè afficit.

§. 5. Definitur quòd ſit Corpus valdè rarum, fluidum & pellucidum, ex particulis tertii Elementi congeſtum, quæ tamen adeò tenues & à ſe mutuo disjunctæ ſunt, ut quibuslibet motibus globulorum cœleſtium obſequantur.

§. 6. Aër itaque bene diſpoſitus, & ſale illô univerſali benignè imprægnatus, valdè amicus eſt Naturæ noſtræ, fermentationem vitalem conſervando, & nimiam humorum turgeſcentiam temperando. Quod ſi ſecundùm omnes dimenſiones exagitatus corpus noſtrum ſubeat, ſanguinem vario motu ciet, particulas conjunctas diſſociat, poros reddit valdè patulos, ut ſubtiliores ſanguinis particulæ quâ data porta avolent, & harum reſpectu corpora noſtra æſtate poſſint dici frigidiora. Hinc variæ febres continuæ oriuntur, & viſcerum fermenta valdè enervantur, ut appetitus non ſolùm langueat, ſed & reliquæ operationes ſegnius edantur.

§. 7. Sin verò Aër, ſecundùm totam ſuam maſſam ad lineam rectam moveatur, vel quocunque modo ſenſum frigoris in nobis producat, non ſolum inſenſibilis illa humorum tranſpira-

tio

tio ſufflaminatur, ſed ipſius etiam ſanguinis volatilitas impeditur, ut ſanguis intra vaſcula capillaria concentratus facilè in coagulum abeat, variaſque pariat obſtructiones, unde inflammationes, ophthalmiæ, anginæ, pleuritides & alii affectus oriuntur; vel lympha à frigore craſſior facta diſſipatis particulis balſamicis aceſcit, & tubulos in partibus ſolidis obſtruit, hinc tumores, catarrhi, aliaque mala prodeunt.

§. 8. Quod ſi aër ex multis aquoſis conſtet particulis, eaſque ſanguini ſuppeditet, fermentativæ ejus partes mirum quantum de ſua deperdunt efficacia, unde ſanguis & ſegniùs circulatur, & plures partes aquoſæ vel ſeroſæ in glandulas hinc inde deponuntur, & diarrhœa, ſputatio frequens, Epiphora aliaque producuntur. Sæpius tamen aër ſalinâ pollet qualitate à ſale quodam, certis anni temporibus ad hæc inferiora tranſmiſſo, quô labia non ſolum & nares corrodit, ſed ſanguinem præcipitando variaſque humorum ſecretiones & concretiones producendo viam ſternit ad febres catarrhales cum tuſſi aliiſque ſymptomatibus, certis anni temporibus nonnullis naturis valdè conſuetas.

§. 9. Varietatem illam nanciſcitur Aër ab effluviis telluris, maris, aliorumque corporum, quæ pro variô ſolis aliorumque Siderum in hæc inferiora & fortè etiam in ignem ſubterraneum

dominio nunc parcius nunc copioſius è terra, mari, aliiſque corporibus exſpirant, & in aëra vehuntur atque à ſole Hemiſphærio noſtro nunc viciniori nunc ab eo remotiori plus minus verſus terram iterum premuntur. Neque abſurdum videtur, & planetas certis ſuis aſpectibus cooperari, ita ut quoties iidem appareant aſpectus, quales ſub themate natalitio fuêre, toties non poſſit non inſignis mutatio in iſtius ſubjecti ſanguine excitari, quod à poſteriori facilè probari poteſt.

§. 10. Poſſe autem quaſdam aëris particulas corporis texturam alterare & penitus deſtruere, nemo inficiabitur. Sic ferrum aëri expoſitum rubiginem contrahit, chelys chorda ab aëre pluvioſo ita intumeſcit ut rumpatur, & ſi ingens pondus chordæ appendatur, in tantum in aëre abbreviatur intumeſcendo, ut pondus illud ad certam diſtantiam ſimul attollatur. Quod ſi Aër tantam habet vim, quid in noſtro fiet corpore, cujus plurimæ partes adeò molles flexiles & diſſolubiles ſunt, ut cuivis impreſſioni facilè auſcultent?

§. 11. Hæc verò quæ de aëre diximus, tum de univerſali, tum de particulari & privato intelligi debent, inter quos tanta ſæpiùs eſt diverſitas, ut contrarios edant effectus. Sic vivimus non raro in aëre libero pro voto & citra

ullum

ullum aliquod ſanitatis diſpendium, ſed ſi poſtmodum domi lateamus, ſanguis ab aëre privato, multa effluvia uliginoſa & vappida inferente, variè corrumpitur & morbis fores pandit. Contra ſi aër privatus bene ſit diſpoſitus, vivimus domi ſani & vegeti, quamprimùm verò in publicum prodimus, corripimur ex inſidiis morboſis inſultibus. Hinc etiam eſt, quare vulnera in nonnullis locis facilius, difficilius autem in aliis ſanentur, & quare phthiſicis aëris mutationem commendemus.

Caput Quintum.

De Cibo & Potu.

§. 1.

Cibus morborum ferax eſt, ſi error aliquis committatur in quantitate qualitate & modo ſumendi, Vel ſi ſanguinis noſtri mixtioni & motui contrarietur. Siquidem ſanguis aſſumtorum ſequitur mixtionem. Nam qualis cibus, talis chylus; qualis chylus, talis ſanguis; qualis ſanguis, talis corporis diſpoſitio. *Vide Celeberrimi* WEDELII *Theoremata Medica.*

§. 2. Cibus peccans quantitate in exceſſu

 obruit

obruit menſtruum ſtomachale ſeu liquorem gaſtricum, ut activitatem ſuam exercere nequeat, hinc chylus craſſus viſcidus & mucoſus generatur, nec alibi hoc vitium corrigi poteſt. Ex quo fonte morbi chronici, obſtructiones inveteratæ, febres intermittentes, flatus aliaque mala exoriuntur.

§. 3. Quod ſi peccetur in defectu, ſanguis redditur acrior; chyli enim eſt dulcificare ſanguinem. Sed cauſa hæc rariùs occurrit.

§. 4. Cibus qualitate peccans vel abit in liquamen ſordidum & bilioſum, vel calore ſuo ſanguinem exagitat, aciditate inſpiſſat, ſalſedine reddit acriorem, oleoſitate inflammat, viſciditate fæculentiam auget. Prodeunt inde famoſæ illæ cruditates, Acida & Nidoroſa, matres plurium morborum, quorum cauſæ fruſtrà aliis in partibus ſæpiùs quæruntur.

§. 5. Modum ſumendi tanti non facimus, cùm aſſumtorum ordo in fermentatione ventriculi non uſque adeò obſervetur, credibile tamen eſt, majori cum commodo præmitti illa quæ fermentum excitent, & fermentationem citiùs inchoent, hinc uſus obtinuit liquida præmittere ſolidis. Vide SENNERTI *paralipomena p. m.* 648. §. XII. Neque ipſa ciborum varietas tantoperè fugienda eſt, prout vulgò fieri ſolet, modo non peccetur in quanto,

& ſi

& ſi ventriculus ſatis robuſtus ſit, fortè ex variis aſſumtis melior chylus elaboratur pro ſanguine reſtaurando, quàm ex cibo ſimplici.

§. 6. Potus quoque peccat mixtione & motu, quantitate & qualitate. Nimius potus enervat liquorem gaſtricum eumque nimium diluit; chylum nimis reddit fluidum; tonum ventriculi labefactat; digeſtionem in inteſtinis tenuibus impedit; Acidum peregrinum ſanguini infert, cerebro cum toto ſyſtemate nervino infenſiſſimum.

§. 7. Potus mixtione peccans ſanguinem reddit cacochymicum Febribus fores pandit, ſcabiem, diarrhœam & dyſenteriam producit, quod è muſto, cerevіſia recenti, vinô acido, & aquis ſalinis & fœculentis fieri quotidiè videmus. Plura de potu & cibo. Vide *l. 4. de Tuenda Sanitate.*

Caput Sextum.

De Somno & Vigiliis.

§. 1.

Cum tempore ſomni omnes fermentationes ſint debiliores, & excrementa detinean-

 tur,

tur, palam fit, quòd, ſi in eo excedatur, ſanguini intemperies craſſa concilietur, cerebrum à craſſis illis humoribus obſtruatur. Spiritus animales & parciùs generentur, & minus ſubtiles fiant. Hinc laſſitudo totius corporis, capitis dolores, ingenii hebetudo, omniumque ſenſuum torpor ſequuntur.

§ 2. Nimiæ vigiliæ autem ſpiritus animales in motu turbant, eoſque depauperant, ſanguinem reddunt acriorem & non rarò in mixtione turbant, hinc febres oriuntur. Ipſe ſuccus nutritius ob ſpirituum animalium defectum craſſior fit, & reſtagnans obſtructiones & catarrhos parit. Et cum literati ſtudiis immodicè incumbentes ſpiritus animales à conſuetis ſuis muniis avocent, mirum etiam non eſt, ſi calculo, defluxionibus, ſcorbuto aliiſque morbis, à ſanguinis aliorumque humorum craſſitie vel acrimonia oriundis, frequentiùs corripiantur.

Caput Septimum.

De Motu & Quiete.

§. 1.

Quandoquidem vita noſtra in motu ſanguinis vitali conſiſtit, negari nequit, modicum

cum corporis motum ad tranquillæ vitæ conſervationem æquè neceſſarium eſſe, ac reliquæ ſunt res non naturales. Quod ſi verò motus iſte vel excedat vel deficiat, variis morbis fores etiam aperiuntur, & ſanguinis motus tùm progreſſivus tum inteſtinus valdè turbatur, & non rarò evertitnr. Nam motus nimius corporis poros tum foris intus tum intrò foràs ſpectantes reddit valdè patulos, ut ſanguis ſpirituoſis ſuis partibus depauperatus effœtus reddatur, & peregrina corpora ex aëre ipſarum in locum ſubſtituantur, ipſique varias intemperies imprimant.

§. 2. Econtra quies nimia impedit ſpirituaſcentiam & volatiliſationem ſanguinis, inſenſibilem tranſpirationem ſufflaminat, obſtructiones parit, & ad putredinalem diſpoſitionem totùm corpus diſponit.

CAPUT OCTAVUM.

De Excretis & Retentis.

§. I.

Excreta & retenta, ſi in exceſſu errent, profundunt ſuccum nutritium, & vitæ Theſaurum

rum (ſanguinem) abſumunt, prout in hæmorrhagiis videre eſt. Sin verò in defectu peccent, ſanguinem reddunt impurum, acrem, craſſum & fœculentum, qui in vaſis, præſertim capillaribus viſcerum, una cum humoribus circulantibus in tubulis & vaſis lymphaticis reſtagnans, chronicos producit morbos, id quod in ſolitæ alicujus evacuationis ſuppreſſione frequentiùs in praxi obſervatur.

CAPUT NONUM.

De Animi Paſſionibus.

§. 1.

Videndum prius quid ſint animæ paſſiones. Deſcribuntur hæ in genere à CARTESIO *in Tr. de paßionibus animæ. p. m.* 14. *Art.* 27. quod ſint perceptiones, aut ſenſus, aut commotiones animæ, quæ ad eam ſpeciatim referuntur, quæque produeuntur, conſervantur & corroborantur per aliquem motum ſpirituum animalium.

§. 2. Quod autem paſſiones animi toti corpori facilè noxam inferant, & ſanitati inſidias ſtruant, facilè vel inde apparet, ſi inſignes illas

in

in corpore obſervemus mutationes, quæ illas vel concomitantur vel ſequuntur. Sic videmus, quod in Triſtitia & Mœrore ſanguis parcior è corde manet, ejuſque orificia conſtricta quaſi teneantur. Hinc pulſus eſt tardior & minor, genæ pallent, pauciores generantur ſpiritus, lingua torpet, pectus contrahitur, diaphragma uno ſed lento tenore deprimitur, unde ſuſpiria & gemitus oriuntur; Reſpiratio eſt debilis, partes externæ ſanguine & ſpiritibus fraudatæ labaſcunt; Imò ipſe ſanguis in vappam abit, & hinc inde reſtagnans toti corpori conſuetum denegat alimentum. Et quia ſpiritus paulatim deficiunt, fermenta viſcerum deſtruuntur, ut ipſe appetitus pereat, & chylificatio in ventriculo variis modis labefactetur; ſicque fores panduntur Seorbuto, Cardialgiæ, alvi tarditati, melancholiæ, cancroſis tumoribus, inflammationi, imò ipſi gangrænæ, docente id ipſa *αὐτοψία*.

§. 3. In Ira, ut animi adeſt perturbatio, ſic tota maſſa ſanguinea contrariis velut motibus agitatur, ejuſque mixtio turbatur, ut in febrilem qnandoque degeneret efferveſcentiam, unde cœteri humores rapidiùs circumacti, & per tubulos partium ſolidarum pulſi peregrinum fermentum, quod ibi diu ſopitum delituit, ſecum rapiunt, id quod liquori animali

commu-

communicatum eum in tantum concutit, ut quaſi diſſiliens in varios explodatur ſummo cum impetu nervos, & motus convulſivos producat. Vel ipſius motum in tantùm auget, ut fluens per cerebrum legitimam curſus formam non ampliùs teneat, unde variarum Idearum confuſiones, deliria, & quandoque brutalis furor exoriuntur.

§. 4. De Terrore nihil addo, cum jam in vulgus notum ſit, quod & liquor vitalis & animalis in ſuo ordine ab eo turbentur. Nam ſanguis qua data porta è vaſe erumpens, in momento concentratur, ſi ex inſolita aliqua affectione æger terrorem concipiat. Hinc in narium hæmorrhagiis aqua frigida cervici affunditur, ægro inſcio. Et ipſa Catamenia à ſubitaneo terrore illicò præpediri quis ignorat? Tantam quoque terror habet efficaciam in revocandis ſpiritibus animalibus, ut ipſum ſingultum [motum convulſivum] quandoque non ſine joco terrore curemus.

CAPUT

Caput Decimum.

De Plethora & Cacochymia.

§. 1.

Plethora eſt ſanguinis & Humorum circulantium [ſucci nutritii] nimia abundantia. Talem dari negare auſus eſt HELMONTIUS ut eô liberiùs Venæ Sectionem è foro medico proſcribere queat. Argumenta, quibus ſuam probare vult hypotheſin, infirmo ſtant talo. Contrariatur ipſa Experientia omnium rerum Magiſtra; Et quamvis præter v. S. temporis diuturnitate etiam aliis remediis ſanguinis quantitas fortè imminui poſſet, id tamen citra maximum ægrotantis periculùm, morbique, nullas inducias concedentis, ingraveſcentiam nunquam fieret.

§. 2. Sanguis autem excedere dicitur, ſi lac in eo nimium augeatur, id quod fit in temperamento ſanguineo, ubi & ſanguinis & conſequenter omnium viſcerum optima adeſt conſtitutio, cibi boni ſucci largâ manu ſumuntur, Potus chyloſus quotidiè aſſumitur, Mens eſt ſana, læta, hilaris, in corpore ſano. Ipſum quoque corpus dulci ſaturatur quiete.

§. 3.

§. 3. Eſt autem plethora multorum morborum ferax, Apoplexiæ, Anginæ, Hæmoptyſis, Pleuritidis, Hæmorrhagiæ tum narium tum uteri. Rupto enim vaſe aliquo ſanguifero ob nimiam ejus diſtenſionem, vel orificio vaſis nimium dilatato, ſanguis ſub forma ſanguinis egreditur, & grumeſcens in fibrarum & filamentorum interſtitiis partes vicinas comprimit, ſicque ipſorum ſpirituum animalium influxum per nervos ſufflaminat, quod in Apoplexia ſanguinea contingit: vel effuſus in partem aliquam membranoſam poros in tantum obſtruit, ut nil niſi materia mundi ſubtiliſſima in illis exiſtat, unde variæ inflammationes & febres acutæ producuntur.

§. 4. Facilè tamen crediderim, Plethoram diu non perſiſtere, ut non ipſi aſſocietur Cacochymia, ſiquidem & in hac vaſa non à copia, ſed à lucta ſanguinis diſtenduntur, quæ etiam facit, ut color ſanguinis valdè exaltetur, & purpureus magis evadat ob cauſam *l.* 1. *c. de Sanguine* adductam. Qui color rutilus & purpureus non ſemper index eſt plethoræ, id quod RIVERIUS *cap. de Hæmorrhoidum fluxu immodico* obſervat, inquiens. *Si à ſanguinis acrimonia* (Cacochymia vel vitioſa qualitate) *ſit fluxus hæmorrhoidum ſanguis magno cum impetu effunditur, & effuſus admodum rubicundus, rutilus*

tilus ac veluti ſlammeus apparet: Cùm aliàs, ſi ſola quantitate peccet, ſubniger & melancholicus eſſe ſoleat.

§. 5. Cacochymia eſt vitioſa ſanguinis qualitas, dum ſalſus, acidus, aquoſus, pituitoſus, bilioſus, fœculentus, craſſus, ab humoribus vitioſis prædominium in eo obtinentibus, redditur.

§. 6. Hi humores varii ſunt, variaſque ſortiuntur appellationes, prout plus minus fluidi ſunt, vel de ſalibus acidis vel alcalicis plus minus volatilibus & acribus participant. Oritur inde lympha craſſa, tenuis, Pituita inſipida, ſalſa, acida; Bilis vitellina, praſſina, æruginoſa. Humor melancholicus; Bilis atra: & ſexcenta alia.

§. 7. Ad Cacochymiam referimus etiam turbatam ſanguinis mixtionem, omnium febrium rationem formalem conſtituentem, ſumentes cacochymiam latiori in ſignificatione. Quamvis enim non omnis cacochymia præſupponat mixtionis ſanguinis turbationem, nulla tamen dari poteſt mixtionis ejus turbatio, ut non cacochymia introducatur. Sic cereviſia, cui innatant muſcæ & alia peregrina corpora, impura quidem & ſordida dicitur, ſed ejuſdem minimarum & inſenſibilium particularum mixtio integra adhuc eſt & ſarta. Verùm ſi ful-

mine tangatur, ejus mixtio turbatur, & inſimul impura & cœnoſa redditur.

CAPUT UNDECIMUM.

De aliis morborum cauſis internis.

§. 1.

Solent etiam INSTITUTIONISTÆ in ordine cauſarum morbificarum recenſere flatus, vermes, & lumbricos, quos ut imitemur, pauca quoque de his dicturi ſumus.

§. 2. Flatus oriri à caloris nativi debilitate & viſcerum languore communis quidem eſt opinio. Verùm cum calidum innatum tale, quale vulgò concipiunt, non detur in rerum natura; Et non rarò copioſiſſimi generentur flatus, ubi magnus adeſt calor, ut in bilioſis & qui vulgò dicuntur eſſe temperamenti calidi & ſicci, videre eſt; ad hæc in morbis calidis flatus & alvi murmura exaudiantur, non videtur, flatuum generationem per elementares illas qualitates explicari poſſe, id quod jam dudum confeſſus eſt SENNERTUS *de flatuum in corpore humano generatione*, inquiens: *Rationi & Experientiæ conſentaneum eſſe puto cauſam efficien-*

tem

tem eſſe etiam humores aduſtos, atrabilarios, acidos inſtar fermenti ſeſe habentes, inprimis viis cumulatos: Et paulò poſt. *Materia autem ad flatus generandos diſpoſita reſpectu agentis eſt omnis illa, quæ humori agenti vel fermentanti eſt diſsimilis. Cujus rei exemplum acetum cretæ, ſpiritus vitrioli tartaro, ſpiritus nitri antimonio infuſus præbet. Hinc quibus in hypochondriis humores aduſti & acidi multi abundant, cujuſcunque etiam generis cibum ferè & potum aſſumant, flatus in hypochondriis concipiunt.*

§. 3. Rectius itaque ſtatuitur, flatus à pororum inteſtinorum ventriculi & totius habitus muſculoſi obſtructione frequentius oriri, quando vapores eos ampliùs permeare neſciunt, qui craſſiores intra anguſtias coërciti murmura, dolores & diſtenſiones producunt, ut omnes cujuſcunque ſint temperamenti, & qualecunque etiam, modò aliquòd eſſet, habeant calidum innatum, flatibus poſſint eſſe obnoxii, ſi ſaltem pori ventriculi & inteſtinorum intus foràs ſpectantes obſtruantur, vel vapores craſſiores tranſgredi neſcii ab aſſumtis ſuppeditentur. Materiam præbent omnia legumina, olera aliaque valde viſcida & glutinoſa mucum viſcidum & acidum conſtituentia, in quem ſi volatilia acria incidant, vapores craſſiores elevantur, qui cum clauſtra perfringere nequeant, flatus

conſtituunt; ipſa tamen cauſa materialis fieri etiam poteſt cauſa efficiens, ſi nempe viſciditate ſua poros obſtruat, ut tranſpiratio impediatur. Spectant etiam huc aniſata, fœniculata, raphanus, & alia ſale volatili oleoſo prægnantia, quæ quoties cum acido vitioſo & viſcidó concurrunt, tale gas flatuoſum eructare faciunt. Vide Celeberrimi ET-MULLERI *valetudinarium infantile.*

§. 4. Quod ſi his aſſumtis frigida ſuperbibantur, poros ventriculi conſtringentia, flatus copioſius generantur, & intumeſcentia valdè augetur, quod in vaccis videmus, quibus ex eſu Herbæ viridis raporum inteſtina immane quantum diſtenduntur, & ſi tunc aquam frigidam bibant, non raró rumpuntur.

§. 5. Calculorum cauſam efficientem dicunt eſſe calidam renum intemperiem, id quod ridiculum eſt. Quamvis enim vi ignis ex arena & cineribus vitra conficiantur, nemo tamen credet, in Renibus fornacem conſtructam eſſe, in quâ humores ad tantam duritiem coquantur. Non jam dicam, quod ſenes, quibus veſtalis ille ignis non amplius favet, hoc morbo frequentius corripiantur quam juvenes. Alii hic ad ſpiritum lapidificum confugiunt, & quod calculi generentur quidem dicunt, ſed quomodo generentur & à qua cauſâ prorſus ignorant.

ignorant. Ne itaque in eodem cum illis hæreamus luto, vel Siſyphi ſaxum volvamus, obſervare licet, quod dulech ignis examini ſubjectus totus ferè abeat in ſal volatile, & ſi fricetur, odorem ſpiret urinoſum, quod Illuſtris BOYLE annotavit. Præterea & hoc notatu dignum eſt, glutinoſos humores in nulla alia tam facilè in lapideam duritiem concreſcere parte, quam in renibus, utut v. g. in naribus mucus viſcidus & glutinoſus ferè ſemper reperiatur, nunquam tamen ibidem lapideſcit; ex quo colligo, ipſum renum fermentum & hoc in negotio ſuas pati manes. Porrò cum humores auſteri in vomitu calculoſis conſueto excernantur, & hypochondriaci, arthritici & ſcorbutici, in quibus talis humorum ponticorum ſaburra primis in viis non ſolùm, ſed etiam in ſanguine reſtagnat, ut plurimum etiam ſint nephritici, veram calculi cauſam efficientem & materialem eſſe dicimus fermentum renum degeneratum à ſua indole, & humores àuſteros primis in viis hærentes, & ipſam chylificationem corrumpentes: ſic enim facilè fit, ut arenoſæ ſanguinis partes cum limoſis & bituminoſis humoribus ipſis in renibus concreſcant, ipſumque urinæ alcali cum illis combinetur.

§. 6. Vermes quod attinet, illi nequa-

quam generantur per neſcio quam generationem æquivocam, ſed ex proprio ſemine & ovis, à muſcis aliisque inſectis depoſitis. Succedit calor putredinalis & blandus, ova ita fovens, ut illa animalcula juxta delineationem ipſis ovis impreſſam generentur. Et cum carnes probè ab inſeſſu muſcarum munitæ nunquam in vermes abeant, obſervante hoc Nobiliſſimo RHEDI, econtra dulcia, quibus muſcæ inſidiantur, facillimè in inteſtinis verminent, nemo etiam inficiabitur, putredinem nunquam primarium vermium dici poſſe parentem.

Caput Duodecimum.

De morborum intemperiei cauſis.

Spectant huc omnia illa quæ de cacochymia dicta ſunt. Generantur autem humores ſupra denominati, & coeunt in Maſſa ſanguinea, atque juxta Hippocratem conſpicui fiunt ex errore aliquo commiſſo in ſex rerum non naturalium adminiſtratione, de quibus hactenus prolixius egimus. Quod ſi verò Humor talis in parte aliqua ſolida deprehendatur, ibidem vel lenta

lenta congeſtione collectus, vel confertim è ſanguinis ſinu eò effuſus erit.

§. 2. Lenta congeſtione humor in parte aliqua colligitur, ſi ipſa pars non amplius ſit diſpoſita, ut ſuccum nutritium transmittere, & quod ſuum eſt retinere poſſit, quod vitium in pororum perverſione, vel ſaltem nimia eorundem conſtrictione vel apertione conſiſtere putamus. Quod ſi ſemel in partis alicujus tubulis [unô ſaltem vel alterô] obſtructio ſuborta ſit, humores eo delati facilè ibidem pedem figunt, & ſenſim augentur, donec pars intumeſcat, & ipſa vaſa ſanguifera comprimantur, unde ſanguis vaſcula ſua confringit, & in tubulos effuſus inflammationem, hoc eſt intemperiem calidam cum materia producit.

§. 3. Transmittitur verò humor confertim in partem aliquam per modum pulſionis vel preſſionis. Et pars, liceat nunc ſic loqui, mandans, principaliter eſt ſanguis, nequaquam verò pars aliqua ſolida, utut etiam omnes ferè Medici hac in parte cum vulgo loquantur.

§. 4. Quod verò vulgò dicitur dolorem attrahere, id quod ipſa experientia confirmare videtur, dum videmus, ſi pars aliquandiu doleat, vel valdè incaleſcat, quod brevi etiam

intumeſcat, nequaquam tamen id explicandum eſt per attractionem, quæ non datur in rerum naturâ, ſed per cauſam magis intelligibilem. Nempe obſervari velim, Calorem & dolorem differre ſaltem gradibus, prout vellicatio & agitatio partium & filamentorum nunc remiſſior, nunc fortior & citatior eſt, quod in manu igni propius admota, quæ tunc calet & dolet, ſin verò removeatur, ſaltem calida eſt, nec amplius dolet, quivis facilè experiri poteſt. Hinc ſtatuimus, quod ſi dolor excitetur in corpore à quacunque id fiat cauſa, quod tunc Spiritus animales pleno agmine eo abeant, fibras inflent, humores impellant, ut tota vicinia intumeſcat. Quod ſi filamenta erodantur, tubuli & interſtitia amplientur, eo verſus potiùs cœteri humores tendent, ubi minor eſt reſiſtentia, & ſic fit affluxus. Idem judicium eſto de calore.

§. 5. Cauſæ morborum occultarum qualitatum quærendæ ſunt in omnibus illis, quæ ſanguinis noſtri mixtionem turbare poſſunt: Vel quæ fibrarum texturam exedunt. Qualia ſunt omnia venena, quæ vel in corpore noſtro generantur, & per plures annos ibidem ſæpius latent, ut in variolis videmus: vel ab Aëre communicantur, qui ea à ſolo, polo, & corporibus lue maligna infectis accipit: Vel aſſumuntur:

Vel

Vel ab animali venenato afflantur & inſpirantur.

§. 6. Morborum conformationis cauſæ conſiſtunt vel in vitio in utero contracto. Vel in injuria aliqua à cauſa externa illatâ. Vel in ſucci nutritii defectu, vel vitioſi abundantia. Vel in violenta vaſorum apertione per anaſtomoſin à plethora & acrimonia fermentativa: per διαπήδησιν à tunicarum rarefactione: per διαίρεσιν à ruptione & eroſione vaſis. Vel in meatuum obſtructione, conſtipatione, compreſſione, coalitu & ſubſidentia. Vel in partium rararum condenſatione, denſarum rarefactione, aſperitate, opacitate, quæ ab humoribus vitioſis facilè introduci poſſunt.

§. 7. Cauſæ morborum Compoſitionis dependent à laxitate vel contractione ligamentorum: Vel violentâ aliquâ actione externa. Unitatem verò ſolvunt corpora ſolida, inſtrumenta, & Humores.

Caput Decimum Tertium.

De Natura, Diviſione, & Definitionibus Symptomatum.

§. 1.

Quid de diviſione iſta rerum, ſanitatem noſtram vexantium, ſtatuendum in limine hujus libri diximus. Deſcribunt autem Symptoma, quod ſit affectus p. n. morbum concomitans. Vel dici poteſt, quod ſit phœnomenum quoddam apparens in texturæ partis alicujus inſigni mutatione.

§. 2. Dividuntur Symptomata in Symptomata actionis læſæ ſecundùm Facultatem Vitalem & Animalem. Læditur autem actio, quando imminuitur, augetur, aboletur vel depravatur. Porro in Symptomata Qualitatis mutatæ, & in Symptomata Excretorum & Retentorum.

§. 3. Symptomata Facultatis vitalis, quatenus pro vita conſervanda actiones vitales edit in ventriculo, ſunt

1. Anorexia, quæ eſt appetitus abolitio à fermenti gaſtrici defectu, vel nimia ejus fixitate, & quod muco obrutum ſit, orta. Ab hac differt gradu δυσορεξία.

2. Bu-

2. Bulimus, à nimia fermenti aciditate ortus, id quod à calore partium vicinarum exagitatum aquæ fortis inſtar aſſumta facilè diſſolvit.

3. Pica ſeu Malacia, quando appetitus in cibos inconſuetos, vel res, quæ aliâs nunquam in eſcam vocantur, fertur ob particularum terreſtrium aliarumque eo tempore in ſanguine defectum, unde cum certos motus orificii ſuperioris certæ ſequantur cogitationes mentis, ſenſorio communi ſeu glandulæ pineali immediatè junctæ, etiam pro varietate motus varius in varia ſequitur appetitus.

4. Sitis abolitio, quæ fit à copia lymphæ fauces irrorantis: Ejuſdemque auctio, quæ oritur à ductuum ſalivalium & tubulorum faucium obſtructione.

5. Fermentatio ventriculi depravata, quæ oritur vel ex cruditate acida, vel nidoroſa. Cruditas acida eſt, quando non tam fermentum quam mucus acidus in ventriculo chylificat, unde cibus aſſumtus in maſſam acidam, viſcidam & non raro flatulentam mutatur, quæ doloris colici, affectionis hypochondriacæ, morbi ſplenetici, obſtructionum viſcernm aliorumque contumaciſſimorum malorum author eſt: Cruditas nidoroſa dicitur, quando cibus non in chylum ſed in liquamen putrilaginoſum mutatur,

mutatur, qualis in febribus ardentibus, malignis, peſte, dyſenteria, diarrhœa, & aliis affectibus ſæpiùs obſervatur, & malignitatis in ſanguine latentis index eſt, niſi fortè à pinguibus, oleoſis & fructibus facilè putreſcentibus fuerit excitata.

6. Singultus; qui eſt motus convulſivus vel concuſſio orificii ſuperioris ventriculi nec non ipſius diaphragmatis ab halitu acri & non rarò maligno producta.

7. Nauſea. Definitur quod ſit orificii ſuperioris ventriculi conſtrictio, hujuſque fundi verſus orificium aſcenſus à materia intus fluctuante.

8. Vomitus. Quem per retractionem fundi ventriculi verſus orificium ſuperius, hujuſque deductionem & contentorum per œſophagum rejectionem, à fibrarum motu inverſo ortam, deſcribimus.

9. Cholera. In qua humores corrupti ἄνω καὶ κάτω excernuntur, à contrario fibrarum motu convulſivo & ſurſum & deorſum, quem materia acris tetrida & putrida, vel in ventriculo genita, vel aliunde tranſmiſſa, vi ſua irritativa infert.

10. Lienteria & Cœliaca. Hi affectus ſaltem gradu differunt, ſiquidem in hoc aſſumta nonnihil mutata, in illo verò immutata, excernuntur

cernuntur per alvum, ob fermenti inertiam & ſalinarum particularum defectum, tonique fibrarum læſionem.

11. Cardialgia. Eſt dolor ortus à violentâ orificii ſuperioris roſione.

§. 4. Symptomata Facultatis vitalis, quatenus præeſt ſanguificationi & cordis perennem motum conſervat, ſunt

1. Cordis palpitatio. Quando ſanguis in baſi & circa auriculas cordis in motu ſuo progreſſivo impeditur, unde inordinatio in pulſibus tum quoad magnitudinem tum quoad celeritatem excitatur, ut propterea rectè inter Spaſmodicos affectus recenſeatur.

2. Lipothymia & Syncope. Differunt autem hi affectus quoad majus & minus. In hoc ſanguinis rarefactio aboletur, in illa verò imminuitur à ſanguinis vel ſpirituum animalium vitio.

3. Cachexia. Eſt totius corporis habitus è nativo colore in pallidum & lividum mutatio, ob impeditam ſucci nutritii per tubulos partium ſolidarum & vaſa lymphatica circulationem, à ſanguinis cruditate & ſpirituum animalium inopia dependentem.

4. Scabies. Eſt perverſio pororum cutis, hujuſque eroſio à Sale peregrino cum lympha eo effuſo.

5. Le-

5. Lepra Græcorum. Hæc gradu differt à Scabie, Elephantiaſis Græcorum verò à lepra, prout ſal plus minùs acre eſt, totaque maſſa ſanguinea intemperie plus minus acri & ſalina laborat.

§. 5. Symptomata Reſpirationis ſunt Dyſpnœa, Aſthma, & Orthopnœa, & gradu ſaltem à ſe invicem differunt. Dyſpnœa enim eſt difficilis reſpiratio citra ſonum ac anhelitum. Aſthma verò major difficultas reſpirandi cum ſonitu. Orthopnœa maxima reſpirandi difficultas, uſque adeò, ut etiam æger non niſi erecta cervice reſpirare poſſit. Oriuntur à ſanguinis intemperie pituitoſâ, craſſa & viſcida, à diaphragmatis corrugatione vel preſſione, â flatibus, ſpirituum animalium inopia, muſculorum abdominis & bronchiorum obſtructione à lympha craſſa & glutinoſa.

§. 6. Inteſtinorum Symptomata ſunt

1. Diarrhæa. Eſt variorum ſed liquidorum humorum excretio, à continua fibrarum inteſtinalium irritatione exorta.

2. Dyſenteria. Quam definimus, quod ſit varii etiam humoris, frequentiùs tamen cruenti, cum dolore inteſtinorum eorundemque exulceratione excretio.

3. Ileos ſeu paſſio Iliaca. Eſt tùm chyli tùm fœcum alvinarum per vomitum rejectio cum

cum atrociſſimo ventris dolore ejuſque adſtrictione ob læſum motum periſtalticum ventriculi & inteſtinorum orta.

4. Colica, quæ eſt corrugatio ſpaſmodica fibrillarum inteſtini coli, meſenterii & non rarò ipſius peritonæi à plenitudine tum aggravativa tum irritativa producta, unde vehementiſſimus abdominis dolor, ſubinde cum vomitu & alvi conſtipatione.

5. Alvi conſtipatio. Oritur à bilis inertia vel defectu ſeri ad alias partes tranſlati, Succi pancreatici aciditate, Fibrarum inteſtinalium torpore vel nimia extenſione.

6. Teneſmus. Eſt continuus egerendi conatus ob mucum acidum vel ſalſum, muſculo ani ſphincter dicto adhærentem.

§, 7. Renum & veſicæ ſymptomata ſunt

1. Iſchuria & Dyſuria, quæ gradibus ſaltem differunt. Suntque urinæ Excretio vel ſuppreſſa, vel ſaltem imminuta, quia latex ſeroſus deficit, vel fermentum renum corruptum eſt. Vel ureterum ſpaſmus adeſt, Vel viæ obſtructæ ſunt à calculo, ſanguine grumoſo, humore viſcido, vel plethora totius adeſt.

2. Stranguria. Hæc eſt continuum mejendi deſiderium maximo cum dolore & ardore ab acido vitioſo exortum.

3. Diabetes. Eſt frequens & copioſa

mictio

mictio cum totius corporis conſumptione à ſale ſanguinem in ſerum præcipitante excitata.

§. 8. Symptomata ſenſuum externorum ſunt,

Et 1. quidem oculorum, Amavroſis ſeu cœcitas. Viſus hebetudo. Myopia, ſeu Luſcioſitas. Nyctalopia. Ophthalmia. Pterygium. Leucoma. Suffuſio. Glaucoma. Strabiſmus. Epiphora. Hæc omnia oriuntur vel à Tunicarum craſſitie, inflammatione & exulceratione; Vel Humorum vitio in quantitate & qualitate; vel ſpirituum animalium defectu; vel nervi optici obſtructione.

2. Aurium: ſurditas, tinnitus & dolor. Quorum cauſæ quærendæ ſunt vel in ſpirituum animalium influxu denegato, vel tympani inflammatione, ruptura. vel oſſiculorum ſitu mutato Vel meatus auditorii obſtructione: vel craſſiorum vaporum egredi neſcientium copiâ.

3. Olfactus & guſtus. Quæ ab organi obſtructione & ſpirituum defectu dependent.

4. Tactus, unde varii prodeunt dolores;

1. Gravativus ab humore craſſo & viſcido viſcus aliquod infarciente.

2. Punctorius in parte membranoſa ab humore acri illam vellicante.

3. O-

3. Ὀστεοκόπος in perioſtio.

4. Tenſivus in parte membranoſâ à vaporibus craſſis & flatibus excitatus.

§. 9. Cerebri & Facultatis animalis ſymptomata ſunt,

1. Vigiliæ continuæ, oriuntur hæ à nimio ſpirituum animalium motu & irritatione.

2. Coma ſomnolentum, quod eſt ſomnus profundus à cerebri obſtructione ortus.

3. Coma vigil, in quo ſaltem eſt propenſio ad ſomnum ab humore pituitoſo ſale referto ortum trahens.

4. Memoriæ imminutio & abolitio, quando ſc. ipſa cerebri veſtigia ab humore cerebrum inundante delentur: Vel cerebrum penitus ſubſidet & quaſi collabitur: Vel ſpiritus animales in motu & mixtione peccant.

5. Paralyſis, eſt ſenſus & motus abolitio à tubulorum in ſyſtemate nervino obſtructione, ſpirituum animalium influxum ſufflaminante, orta.

6. Laſſitudo, quæ à lymphæ vitio in motu & conſiſtentia nec non ſpirituum animalium inopia oritur.

7. Tremor, qui affectus eſt depravatus partium motus à vagabundo ſpirituum animalium curſu, quo nunc in hunc, nunc in illum

muſculum ob valvularum laxitatem vel deſtructionem feruntur, excitatus.

8. Convulſio, quæ eſt contractio nervi ac conſequenter muſculi cui inſeritur, ab humore acri & viſcido.

9. Horror, eſt concuſſio partium membranoſarum facta ab acido: Quo rigorem, pandiculationem, ſternutationem, tuſſim cœteroſque affectus ſpaſmodicos referre licet.

10. Phrenitis, quæ eſt delirium cum febre & furore à meningum inflammatione, indeque orta ſpirituum animalium & ſanguinis turbatione excitatum.

11. Melancholia, deſcribitur, quod ſit delirium ſine febre cum triſtitia, à ſpirituum animalium craſſitie & totius ſanguinis acida intemperie ortum habens.

12. Mania, quæ eſt delirium ſine febre, ſed cum furore, propter ſpirituum animalium indifferentiam in ventriculis cerebri, à peregrino eoque valdè fermenteſcibili humore ablatam, productum.

13. Hydrophobia, quod delirium in liquidorum averſione & in inſigni inde orto furore conſiſtit, à veneno canis rabidi mediante ſaliva communicato, excitatum.

14. Vertigo, quam deſcribimus, quod ſit apparens objectorum in gyrum motus, à nervorum

vorum opticorum obſtructione non in totum ſed in tantum, & perverſo ſpirituum animalium motu ortum habens.

15. Incubus, in quo mens juxta conſuetudinem judicans valde decipitur ab humoribus craſſis muſculos thoracis comprimentibus.

16. Lethargus, qui eſt ſomnus profundus cum febre lentâ & delirio.

17. Carus, ſomnus hic eſt profundior, quam in comate, mitior tamen quam in apoplexia, à qua gradu ſaltem differt.

18. Apoplexia, hæc eſt ſomnus profundiſſimus & inexpugnabilis cum omnium ſenſuum ablatione, manente aliquandiu adhuc reſpiratione & pulſu, ob profundam cerebri à ſanguine vel pituita factam obſtructionem.

19. Epilepſia, quæ eſt motus convulſivus cum omnium ſenſuum ablatione, ab exploſivo liquoris animalis motu excitatus.

20. Catalepſis, eſt repentina arbitrarii motus ablatio, ubi ægri eum in omnibus partibus retinent ſitum, in quo in momento invaſionis erant, neque collabuntur, neque convelluntur, manente reſpiratione pulſu & calore totius, à glandulæ pinealis, ſenſus communis vicem aliâs obeuntis, laterali obſtructione, à particulis craſſis & viſcidis facta.

§. 10. Ad hanc claſſem referri etiam ſolent

ſymptomata Facultatis genetricis vulgò dictæ, qualia ſunt,

1. Sterilitas, quæ ut plurimum à ſanguinis intemperie & ovarii obſtructione proficiſcitur:

2. Gonorrhœa, quæ eſt ſeminis vel lymphæ corruptæ profluvium à veſicularum ſeminalium & glandularum proſtatarum laxitate exortum.

3. Paſſio hyſterica vel ſuffocatio uterina. Hic affectus rectiùs inter morbos ſpaſmodicos refertur. Eſt enim nihil aliud, quam motus convulſivus Meſenterii, Diaphragmatis aliarumque partium membranoſarum cum ſubitanea totius corporis refrigeratione & ſtrangulatione, ab humorum acidorum per intervalla in nervearum fibrillarum interſtitia effuſorum copia. Hinc apparet, quod viri etiam tali malo ſæpiùs corripiantur, quodque nihil aliud ſit, quam ſymptoma ſcorbuti, inter cujus phœnomena meritò à recentioribus recenſetur. Quæ verò de uteri aſcenſu aliàs dicuntur, hæc vana & anilia ſunt, quamvis ipſum uterum ſecundum fibras ſuas quandoque convelli & irritari non negaverim, qui ſic affectus reliquas partes in conſenſum trahere poteſt, ut inde præfocatio oriatur.

§. 11. Symptomata in qualitatibus mutatis ſunt,

1. Icterus, quo totius corporis habitus flavo tingitur colore, à Pancreatis & Hepatis obſtructione ortum trahens.

2. Fœtor oris, quod ſymptoma oritur vel à cibis dentibus adhæreſcentibus: Vel à reliquiis chyli in ventriculo putreſcentibus: Vel abſceſſu in thorace & pulmonibus. Fœtor narium pedum & alarum huc ſpectat, ubi intemperies totius maſſæ ſanguineæ adeſſe ſolet, quæ ejuſmodi Salia urinoſa aliaque recrementa rancida & putrida in glandulas, illis in locis ſitas, deponit.

3. Chloroſis, eſt ſanguinis intemperies & turbata mixtio è liquore genitali turgeſcente introducta.

4. Eryſipelas eſt inflammatio & ſanguinis acrioris in ſua mixtione turbatio, ab aliquali pororum partis alicujus obſtructione producta.

§. 12. Symptomata Excretorum & retentorum ſunt,

1. Menſium ſuppreſſio.
2. Eorundem fluxus nimius.
3. Lochiorum ſuppreſſio.
4. Eorundem fluxus nimius; quæ omnia proveniunt vel à cruditate acida in primis viis, vel ſanguinis intemperie acri, vel vaſorum laxitate & ruptura, vel ſanguinis à frigore condenſatione.

5. Sudores nocturni, hi multis terrorem injiciunt, quod audiverint Hecticos & Phthiſicos ſudoribus nocturnis vexari. Verùm ſciant, in Hectica mixtionem ſanguinis turbari, ſicque ſerum copioſius præcipitari, quod poſtmodum per ambitum corporis poris & tubulis excretoriis valde pateſcentibus noctu emanare ſolet. Sed hi ſudores, de quibus nunc ſermo eſt, citra febrim & ſanitatis diſpendium ſæpiùs plures per annos feruntur, ſuntque index ſcorbuti & acris ſanguinis intemperiei, ob quam humores circulantes poros in ſuperficie obſtruunt, ſicque non amplius ſolitâ alacritate per vaſa lymphatica circulari poſſunt. Cauſæ hujus veritatem probat curatio, quæ abſtinentia à cœna & medicamentis aperitivis abſolvitur. Quod ſi quæ adhuc reſtant ſymptomata, illa æquè facilè per noſtra principia explicari poterunt.

INSTITUTIONUM MEDICINÆ LIBER TERTIUS.

SIVE PARS SEMIOTICA.

Caput Primum.

De Signis.

§. 1.

Hac in parte Inſtitutionum certa ſigna à Medicis deſcribuntur, quibus cognoſci poſſit, num in corpore noſtro omnes motus ſuæ naturæ convenientes peragantur, idque exactà adhuc gaudeat ſanitate. Utrum verò peregrini motus

præter naturam cieantur, variæque turbæ in œconomia animali excitentur. Equidem duplex Machinæ Corporis humani eſt ſtatus, Naturalis & præternaturalis. Hinc duplicis etiam ordinis reperiuntur ſigna, diagnoſtica dicta, quæ vel ſanitatem vel morbum præſentem indicant. Illa ſigna diagnoſtica naturalia, hæc præternaturalia vocantur.

§. 2. Indecorum autem eſſet Medico prudenti ſi ſaltem in morbi cognitione acquieſceret, neque ipſi ægrotanti hoc foret proficuum; Quin potius plus ultra tendere, & eminus maturè prævidere, & prædicere debet, quid futurum ſit: id quod facilè præſtare poterit, ſi fontes præſagiorum ceu Cynoſuram oculis ſuis præfigat, indeque ſigna exhauriat, à prioribus in eo diſtincta, quod futurum ſtatum, eventum nempe morbi & eventus modum revelent: vocantur autem ſigna Prognoſtica, quibus nonſolùm medicus magnam ſibi acquirit gloriam, ſed famam etiam & exiſtimationem ſuam contra malevolos & imprudentes è fœce hominum oriundos tuetur.

§. 3. Medicus ad ægrotantem vocatus ante omnia in eo præcipuam locare debet operam, ut veram morbi Hiſtoriam ab ægrotante addiſcat, & quærendo omnia phœnomena morbum primarium vel principalem concomitantia expiſcetur,

ſcetur, quo facto hæc phœnomena per ſuas cauſas explicare contendat, ſecum ratiocinando, nihilque admittendo, quòd non clarè & diſtinctè percipiat, quodque non evidentiſſimum ſit; ſic enim viam ſibi reddet valdè expeditam, quâ ad penetralia morbi, partem affectam aliaque ſcitu neceſſaria ire queat, quæ methodus cognoſcendi naturam & eſſentiam morbi non ſolùm magis ſolida eſt, ſed etiam ratiociniis & conſequentiis valdè evidentibus innititur, ut medicus omnia hæc adhibens media nunquam falli, neque de opinionis ſuæ veritate dubitare ampliùs poſſit. Quam methodum videntur Recentiores mutuati eſſe ab ipſo CARTESIO, in Magnetis explicatione præmittente ejus proprietates, ut ſic greſſu magis ſtabili & firmo in ejuſdem Naturæ penetralia & abdita deſcendere potuerit. Neque enim magni laboris opus erit, phœnomena in pulſu, urina, aliiſque actionibus apparentia, per ſuas cauſas explicare, modo ſimul ad victus rationem, vitæ genus, ſexum, juvantia & nocentia nec non communiter vagantia mala attendatur.

§. 4. Recedimus autem hic in tantum à conſueta methodo, dum ſigna Temperamenti tum Sanguinis ſeu totius, tum etiam viſcerum & partium Solidarum, Hepatis v. g. Cordis, cerebri &c. omittimus; ne vel cramben bis

 coctam

coctam apponamus, vel nobis temperamenta & qualitates fingamus, quæ in corpore humano nuſpiam reperiuntur. Hoc ſolùm enim ſufficit, ſi ſanguinis temperamentum cognoſcamus, de quo jam Lib. 1. abundè ſatis egimus, cum viſcerum Temperamenta immediatè dependeant ab ipſo ſanguine. Neque poſſibile eſt viſcera & partes ſolidas intemperie neſcio quâ affici, ut non prius ipſe ſanguis ſimili labe contaminatus ſit, qui eſt ille famoſus omnium ferè morborum nidus, modo producta morboſa cum ipſis cauſis non confundamus.

§. 5. Sic ipſorum convincitur Error, qui in recenſendis cauſis morbificis nil niſi calorem vel frigus hujus vel illius viſceris crepant. Si enim una pars ſolida eſt calida, cœteræ omnes erunt calidæ, & ſi cerebrum tuum frigidum & humidum eſt, totum tuum corpus frigidum vel humidum ſit oportet. Quo ipſo non minus refellitur decantata illa viſcerum ἀνλιπεραξία, quâ dicunt ventriculum eſſe frigidum, Hepar verò calidum: cum tamen ſanguis ſingulis pulſibus à corde diſpenſatus unus idemque ſit, tum qui ventriculo communicatur per arterias gaſtricas, tum qui Hepati infertur per arteriam cœliacam. Vident itaque Tyrones, quam periculoſum ſit erroneis illis veterum inhærere figmentis, & quàm lubrica ſint Medicæ Artis fundamenta, niſi

niſi ſaniora ex philoſophia in forum Medicum transferantur principia; Quibus neglectis auſim dicere, nullum inter talem Medicum & Empyricum eſſe diſcrimen; quæ enim ille ratiocinatur de cauſis morborum, de medicamentorum qualitatibus, æquè falſa ſunt ac illa, quæ Empyricus vulgò perſuadere contendit. Et cum Philoſophia medicum ab Empyrico diſtinguat, malè ſanè rebus ſuis conſulunt, qui neglecto ſtudio philoſophico ad Medicinam tranſeunt.

§. 6. Signa Prognoſtica, quibus ſanguinis & humoris morbifici conditionem nec non eventum morbi præſagimus, deſumuntur ab inſolitis apparentiis in liquore vitali, animali, pulſu, urina, reſpiratione, facie, lingua & ſitu ægrotantis conſpicuis.

CAPUT SECUNDUM.

De Urinis.

§. I.

Quamvis ex urina quatenus eſt univerſale quoddam totius ſanguinis excrementum aliquid de ſanguinis conſtitutione haberi poſſit,

ſit, nunquam tamen illi ſoli fidendum, niſi inſimul alios teſtes omni exceptione majores in ſubſidium vocemus; hinc ſigna illa tum diagnoſtica tum prognoſtica ex ſola urina deſumta maximam partem infida ſunt & fallacia, impoſtoribus & Agyrtis potius quam viris honeſtis digna. Et cum vulgus decipi amet, plerumque frequentiori eò decurrit agmine, ubi mendacia proſtant venalia, ut uromantæ ſimiles videantur eſſe diabolo, dum centum mendacia una veritate vendunt. Hinc Fuchſius non ſine ratione acriùs in eos invehitur, eos Aſinos & Impoſtores vocans, indignos, quibus cum rixentur viri boni, quum pluris quæſtum urinarum quam veritatem ipſam faciant.

§. 2. Eſt autem uri na liquor quidam ex varii generis particulis, nempe acidis, ſalinis, oleoſis, aquoſis, ſpirituoſis & terreſtribus compoſitus, colore aureo vel citrino prædicus, cum pauco chyloſo ſedimento per ſolam cribrationem præ via præcipitatione quadam in renibus elaboratus.

§. 3. Color urinæ qualiſcunque ille ſit, eſt à particulis ſalinis, quibus ſi defraudetur, valdè pallida & aquoſa evadit. Symbolum ſuum conferunt alii varii generis humores plus minùs gravidi & viſcidi, qui radiorum luminarium incidentiam, progreſſum, & emerſionem mille modis modificare poſſunt.

§. 4.

§. 4. Sedimentum illud, quod in Sanorum urina conſpicitur, eſt portio chyli poris arteriarum emulgentium una cum aliis elabens, quod ſi grave ſit, & fundum vaſis petat, vocatur Hypoſtaſis, ſin leve, magiſque mediam occupet regionem, dicitur Enæorema, ſin verò ſuperiori matulæ regioni innatet, & in minutiores moleculas ſit confractum, appellatur Nubecula.

§. 5. Corona, de qua tot ab uromantis judicia feruntur, nil niſi umbra eſt.

§. 6. Conſideratur autem urina ratione conſiſtentiæ, ratione quantitatis, coloris, odoris & contentorum.

§. 7. Quoad conſiſtentiam deflectit urina à naturali, quando nimis craſſa, turbida, oleaginoſa, vel etiam nimis tenuis redditur. Comparatur autem naturali conſiſtentiâ cereviſiæ tenui benè fermentatæ. Sin verò craſſa valdè & albicans ſit, id à chylo ſeu lacte eſſe perſuaſum habeo. Indicat autem talis urina vel chyli in ſanguine copiam, vel quod cum reliquo ſanguine non rite aſſimiletur, vel etiam pororum vaſorum in renibus laxitatem.

§. 8. Urina quæ turbida mingitur, & paulò poſt clara fit, indicat craſſorum humorum gravitate ſua ſpontè fundum vaſis petentium copiam, qui excerni non potuiſſent, niſi pori vaſorum in renibus valdè eſſent patuli, ipſeque

ſanguis

ſanguis cacochymicus iis abundaret. Sin turbida reddatur, & talis etiam maneat, indicium eſt, humores à calore & fermentatione potentiori valdè in corpore exagitari, ſed eſſe tamen leves, ut ſubſidere neſciant, & ſimul ita viſcidos, ut materia ſecundi elementi per vias rectas vel rectis æquipollentes fluere impediatur.

§. 9. Urina tenuis fermentationis debilioris & humorum cruditatis index eſt, hincque viſcerum obſtructiones, ventriculi languor, reſpirandi difficultas, catameniorum ſuppreſſio, aliaque divinari poſſunt.

§. 10. Ex urina oleaginoſa renum laxitas, ſanguinis acrimonia & corporis conſumtio colligitur. Non rarò tamen ob cibum largius aſſumtum, vel ſi oleoſis utamur, pinguis & oleaginoſa evadit.

§. 11. Si urina nimia in quantitate reddatur, vel ſanguinis compages nimium relaxata vel ſerum in tubulis hinc inde aliquandiu fluctuans ſanguini denuò confuſum erit. Sin pauca urina excernatur, facilè inde colligere eſt, ſerum alio transferri, & vel per ſudores, vel etiam per alvum foràs eliminari, vel in cavitatem aliquam inſignem effundi, vel propter renum obſtructionem revehi verſus cor.

§. 12. Urina pallida eſt à defectu ſalium, & ferè omnes illos indicat morbos, quos tenuis & cruda

cruda prodit. Rubicunda eſt fertilis ſalium, & febrium eſt index, vel inflammationis partis ſolidæ. Rubra ac craſſa de Scorbuto, lienis oppilatione, phthiſi & Hydrope teſtatur. Nigra urina fit ex humorum auſterorum admixtione, & non rarò nephriticis & ſpleneticis ſalutaris eſt. Poteſt tamen etiam oriri ex necroſi ſanguinis, & ſummæ putredinis, hoc eſt extremæ turbationis mixtionis ſanguinis præbet indicium.

§. 13. Ratione odoris urina vel valdè fœtet, vel planè non olet, vel jucunde olet. Valdè fœtida redditur à pure, vel etiam ſalium acidorum copia, partes balſamicas ſubjugantium, ut in hyſtericis, hydropicis & ſcorbuticis obſervare licet. Planè non olet propter ſalium defectum, vel nimiam tum ſalium, tum aliorum corporum fixitatem & viſciditatem. Suavis odor eſt à particulis violarum effluviis ſimillimis, quales in Terebinthina, Junipero, Nuce Moſchatâ & aliis reperiuntur.

§. 14. Sedimentum Tartareum & arenoſum album in menſium obſtructione & viſcerum oppilatione excernitur. Rubrum farinaceum ſcorbuti, nonnunquam etiam phthiſeos indubitatus exiſtit teſtis. Arenulæ rubræ ſolidæ renum, friabiles verò innatantes urinæ, vel parieti vaſis adhærentes ſanguinis ſunt ſoboles.

§. 15.

§. 15. Filamenta inſtar floccorum per urinam quaquaverſum natantia catarrhos indicant, fortè quod ex fermentatione debiliori ventriculi cruditas in ſanguine & conſequenter in Lympha & ſucco nutritio facilè exoriatur.

§. 16. Spumoſa urina, vel ſaltem bulloſa flatuum indicat copiam, & conſequenter dolorem capitis, vertiginem, tinnitum aurium, apoplexiam, alioſque graviores morbos, à muco acido oriundos. Cœtera praxis habet, ſed vide cui fidas, & ſemper memor eſto moniti Celeberrimi WEDELII dicentis: *urina infidus valetudinis interpres, & præſtat ex eâ judicare interrogando, quam decidendo, ad lectum quam domi, nota quam ignota.*

Caput Tertium.

De Pulſu.

§. 1.

Signa prioribus certiora deſumuntur à motu cordis, quibus medicus totius ſanguinis diſpoſitionem explorare, & ordinem & vigorem ſpirituum animalium indagare poteſt. Puto autem in eo à medicis peccari, quod non adhibeant

beant ſat temporis in pulſu cognoſcendo, dum uno aut altero ictu explorato ſtatim manum removent, ſicque facillimè decipi poſſunt, ut credant omnem ſanguinem vel optime vel peſſime eſſe diſpoſitum, cum facilè fieri poſſit, ut duæ vel tres guttulæ cor incidentes ſint aliis inſequentibus fluidiores, craſſiores, viſcidiores, vel non benè mixtæ, quibus rarefactis ſuccedere poſſunt guttulæ optimè conſtitutæ. Deinde cum ex viſceribus, ſive propius ſive longius ſitis, aliquid transferri poſſit ad ſanguinem, quod hujus motui vel mixtioni reſiſtat, pulſus tam diu bonus eſſe poteſt, donec heterogeneæ illæ & fermenteſcibiles particulæ cordis ventriculos ingrediantur, ſicque medicus iterum decipitur, ſuaque exſpectatione fruſtratur.

§. 2. Pulſus magnus & vehemens copiam particularum ſpirituoſarum in guttula illa ſanguinis quæ rarefit innuit. Parvus & debilis econtra ſpirituum defectum & fermentationem languidiorem indicat. Tardus pulſus fit ob ſanguinis craſſitiem, vel etiam viſciditatem, ſicque poteſt ſimul eſſe magnus, vel etiam vehemens. Celeritas pulſus eſt vel ab acrimonia ſpirituum, vel ſanguine facilè fermenteſcibili; Frequens à ſanguinis fluiditate eſt; Inæqualis verò à ſanguinis intemperie, turbatâ mixtione & ſpirituum animalium motu inordinato: quo

Myurus, verniculans & formicans, qui in moribundis obſervantur, ſuntque omnium periculoſiſſimi, referuntur.

§. 3. SINENSES in pulſibus explorandis nobis & feliciores & attentiores ſunt, quibus non difficile eſt, ex ſolo pulſu, per integram ferè horam ſine ulla interpellatione obſervato, morbi ſpeciem cognoſcere. Modum, quô utuntur, prolixè deſcriptum reperies in curioſiſſimo Tractatu CLEYERI *de Medicina Sinenſium.*

§. 4. Fieri tamen poteſt, ut pulſus æqualis ſit in morbo valdè maligno, ſi nempe ſanguinis maſſa æqualiter ſecundùm omnes guttulas inſtar liquoris alicujus fulmine tacti ſit turbata; hinc vulgare illud ortum eſſe videtur; Pulſus bonus, urina bona, & æger moritur.

CAPUT QUARTUM.

De Signis Plethoræ, Cacochymiæ, Turbatæ Mixtionis, &c.

§. I.

Plethora facilè cognoſcitur ex vaſorum turgeſcentia, habitu corporis carnoſo, laſſitudine quadam ſpontanea, ob nimiam tunicarum diſten-

ſtenſionem vel etiam ſucci nutritii per tubulos partium ſolidarum circulantis copiam. Præceſſit otium, victus ratio, largior vini generoſi potus & quæ ſunt alia.

§. 2. Pituitam abundare in ſanguine colligitur ex pulſu tardiori, urina pallidiori, fermenti ventriculi inertia, ſomnolentia, defluxionibus; quod ſi ſalibus ſit aculeata, facilè vel ex ſapore, vel dolore, vel febrili effervesſcentia cognoſci poterit.

§. 3. Bilis abundantiam in ſanguine prodit ejus fervor, adeſt ſitis, jejunium nocet, excrementa alvi nec non urina valdè tincta ſunt, pulſus celer eſt & non uſque adeò magnus.

§. 4. Melancholiam abundare docent pulſus rari & parvi, nonnunquam tamen etiam ſunt magni, ſi nempe partes ſpirituoſæ non tàm facilè ſe extricare poſſint à viſcidis & flatulentis, hinc arteria valdè intumeſcit, vel diſtenditur. Quod ſi ſalibus corroſivis exaltata ſit, prodit ſe mordacitas tum in internis tum in externis partibus, unde dolores, pruritus, motus convulſivi, variæque exulcerationes ortum trahunt.

§. 5. Sanguinem turbatum eſſe in ſua mixtione in principio ex pulſu frequentiori colligi poteſt, nec non è febrili fermentatione, & quo magis turbatus eſt, eò citiùs vires pereunt, quæ citra cauſam manifeſtam brevi attritæ ſemper

de malignitate teſtimonium perhibent. Quod ſi venenum ſit epotum, vel inſpiratum ab animali, omnis illico dejecta eſt appetentia, fauces uruntur, accedit nauſea, cardialgia, vomitus, alvi fluxus, abdominis intumeſcentia, color faciei cadaveroſus, tremor artuum.

§. 6. Ad hoc caput referimus etiam ſigna cruditatem acidam & nidoroſam, nec non intemperiem ſanguinis acidam & alcalinam indicantia. Siquidem in Cruditate acida appetitus adhuc viget, poſt aſſumtum cibum autem inflatio ventriculi, phlogoſis, & paulò poſt ructus, & non rarò vomitus acidi, murmura & rugitus alvi, ejuſque adſtrictio ſubſequuntur. In cruditate nidoroſâ liquamen tetridum fluctuat in ventriculo, ructus nidoroſi, ovi frixi ſaporem referentes, exoriuntur, ſæpiùs deſiderium adeſt vomendi, ad alvi fluxum valdè proclives ſunt: Si ſalia acida in maſſa ſanguinea prædominentur, adeſt ſimul cruditas acida, ſanguis in ſuo motu lentus eſt, niſi quod per intervalla motu inordinato ex improviſo quaſi exagitetur, morbi chronici & contumaces viſcerum obſtructiones producuntur, ulcera hinc inde, nec non tubercula vel tumores ob variam humorum circulantium concretionem generantur. Sin ſanguis intemperie alcalicâ laboret, ſitis urget, ſanguis fluidus magis & fervidus eſt, facilè in

ſua

ſua mixtione turbatur, unde qui talem habent ſanguinem à peſte aliiſque febribus malignis minus tuti ſunt.

§. 7. Neque opus eſt, ut hic de morbi ſpecie, ejuſque magnitudine, nec non ipſa parte affecta cognoſcenda prolixius agamus, cum ex ſymptomatum vehementia, & partis alicujus affectæ functione plus vel minus neceſſaria morbi magnitudo, ejus ſpecies verò ex phœnomenis & cauſis, de quarum ſignis ſuperius egimus, facilè cognoſcatur. Quod verò ipſam partem affectam attinet, nec hæc latere poteſt, ſi læſam functionem, doloris ſitum & proprietatem, ipſaque excreta ſub examen vocare velis.

CAPUT QUINTUM.

De Signis Prognoſticis.

§. 1.

Hanc doctrinam futuro practico utilem & perquam neceſſariam eleganti ſerie proponit Cl. MOEBIUS *in ſuis Inſtitutionibus*. Ex quibus obſervari velim, ſigna cruditatis & coctionis deſumi ex urina (cujus indolem ſupra

deſcripſimus) ab alvi excrementis, & ſputo. Ex quibus etiam ſigna mortis & ſalutis petuntur, nec non ex reſpiratione, decubitu, pulſu, facie, præprimis autem ex oculis. Signa critica ex inſolita aliqua mutatione, & Symptomatum ingraveſcentia, citra cauſam aliquam manifeſtam ſuborta, depromuntur. Morbum longum vel brevem fore cognoſcitur ex morbi natura, ſanguinis intemperie, anni tempore, ſymptomatibus, ſignis coctionis vel cruditatis, paroxyſmorum æqualitate, vel eorundem anticipatione & poſtpoſitione.

§. 2. Morbi eventum colligere licet à virium conſtantia, quam ex pulſu aliiſque functionibus facilè cognoſces, deinde à morbi Idea, porrò à juvantibus & nocentibus. Potiora tamen & certiora ſigna ex læſis actionibus ſumuntur, unde potiſſimùm ad Facultatem vitalem, quæ eſt in ſanguine, & animalem, quæ eſt in ſpiritibus animalibus, attendendum.

§. 3. Omne delirium malum ſed non æquè periculoſum eſt. Nam quò ſymptomata reliqua ſunt graviora, eò pejus eſt delirium. Sin ſit ſine ferocia, motibus convulſivis & reſpirandi difficultate, non tantum portendit periculi. Huc ſpectat *Aphor.* 32. *Sect.* 2. HIPPOCRATIS. *In quovis morbo animo bene valere* (hoc eſt ſine ulla verborum abſurditate, ſineque indeco-

ra cor-

ra corporis compoſitione, & morum diſſimilitudine, ſineque præſentis laboris indolentia: Sique poteſt imaginando, ratiocinando, in memoriam revocando ſuum officium facere) *ac rebus convenienter datis gaudere* (hoc eſt benè coquere, diſtribuere & excernere, ut alvinæ œconomiæ integritas inde pateſcat) *bonum. Contrarium verò malum.*

§. 4. Oblivio quoque ſubitò exorta mala eſt. Denotat enim profundam cerebri læſionem, ſpirituum animalium inopiam, vel ſaltem peregrinam eorundem determinationem.

§. 5. In morbi principio ſopor malus eſt, & malignitatis index; ſiquidem ſpiritus animales ob turbatam ſanguinis mixtionem, & inde ortam plexus choroidei obſtructionem, parcius generantur, & ipſius cerebri tubuli ab humoribus circulantibus ſegnius ob ſpirituum defectum progredientibus nimium replentur.

§. 6. Somnus laborem adferens nigro carbone notandus. Laborem autem adferre dicitur, quando æger expergefactus vel deliranti ſimilis, vel de laſſitudine & magna virium proſtratione conqueritur.

§. 7. Inſomnia in phreniticis bona ſunt. Indicant enim ſpiritus animales antea efferos nunc in ordinem rediiſſe, plicas cerebri iterum aperiri, & reconditas ſpecies menti offerri.

§. 8. Omnes vigiliæ, exceptis iis quæ inſtantem criticam mutationem comitantur, gravioribus ſymptomatibus fores pandunt, & in omnibus morbis malæ ſunt.

§. 9. Senſus externos lædi ſymptomaticè in morbis præſertim acutis valdè periculoſum eſt. Hinc ſi æger non ampliùs videat, nec audiat, nec ſentiat, mors jam eſt præ foribus. Et dolorem non ampliùs ſentire, præſente adhuc cauſa dolorem inferente, mortis ſolet eſſe prænuntium.

§. 10. Dolor valdè acutus diutius perſeverans tandem abſceſſum futurum indicat.

§. 11. Omnis ſubita mutatio eſt periculoſa.

§. 12. Laſſitudo ſpontanea febris ſolet eſſe prodromus.

§. 13. Convulſio nunquam caret periculo; Quæ tamen pueris accidit & mulieribus, plus ſæpiùs habet terroris quam periculi, unde HIPPOCRATES quamvis eam febri ſuccedentem lethalem pronunciaverit, in pueris tamen id ſæpius fallere non diffitetur.

§. 14. Singultus in febribus malignis & inteſtinorum inflammatione ut plurimum lethalis eſt.

§. 15. Idem eſto judicium de Tremore, qui in febribus acutis graviorum ſymptomatum eſt prodromus.

§. 16.

§. 16. Horror & rigor, ſi cum calore alternent, monſtri quid alunt, id quod in febris ungaricæ principio plerumque fieri ſolet.

§. 17. Omnis decubitus inſuetus vel etiam indecorus funeſtum portendit in febribus acutis exitium.

§. 18. Anxietates ſufflaminatæ circulationis & turbati motus ſpirituum animalium indices periculum minantur: quo corporis jactationes & inquietudo ſpectant.

§. 19. Aphonia in morbo acuto ſubitò ſuborta inſtantis epilepſiæ, vel etiam apoplexiæ indicium præbet. Si ebrius repente obmuteſcat, inquit HIPPOCRATES, convulſus moritur, niſi febre corripiatur; ſic enim ſolvitur nervorum obſtructio ob auctum tum liquoris vitalis, tum animalis motum.

§. 20. Qui frequenter & vehementer & abs re deficiunt, repente moriuntur, *Aphor.* 41. *Sect.* 2.

§. 21. Reſpiratio quo in morbis acutis difficilior eſt, eò pejor eſt. Magna & tarda indicium eſt affecti cerebri & ſyſtematis nervini. Magna & ſuſpirioſa cum ſibilo & impetuoſa aëris exſpiratione funeſta quoque eſt in febribus malignis.

§. 22. Solent etiam ſigna prognoſtica deſumi ex ſanguine per v. ſ. extracto, quæ omnia ta-

men infida ſunt, cum ſanguis eo ipſo etiam momento, quo aër externus admittitur, aliam induat faciem. Et qui ſæpiùs valdè corruptus apparet, eò minùs alit periculi.

§. 23. Ciborum faſtidium in morbis malum eſt, & ſæpiùs quid gravius in inſidiis deliteſcens præcedit. Quo enim magis eſt turbatus ſanguis in ſua mixtione, eò magis corruptum etiam eſt fermentum ventriculi. Attendendum etiam erit ad alia ſymptomata. *Ferè fit*, inquit HIPPOCRATES, *ut, qui male affecti, ſi ineunte cibi uſu avidè cibos capiunt, ac nihil edendo proficiunt, ad extremum inappetentes fiant. Contra, qui ineunte cibi uſu, nihil omninò appetunt, paulò poſt edendi appetentes, meliori ſunt loco. Aph. 32. §. 2.*

§. 24. Sitire cum non ſitire, & non ſitire, cum ſitire debeas, malum eſt.

§. 25. Dejectiones alvinæ, eæque frequentiores aquoſæ & ſinceræ cum magna virium proſtratione ſunt peſſimæ notæ. Si inter excernendum animi deliquium ſuperveniat, majus periculum innuitur. In acutis, & præſertim in variolis cruentæ dejectiones per alvum, vel per vomitum, vel etiam per vias urinarias, ut plurimùm ſunt lethales; quæ tamen in menſium obſtructione, melancholiâ & Maniâ non rarò magnô cum ægrotantis levamine inſtituuntur.

§. 26.

§. 26. Vomitus in morbis quid monſtri alunt. Malæ quoque ſunt vomitiones ſtercoreæ, ſinceræ, virides, nigræ & lividæ.

§. 27. Larga Mictio in febribus tum continuis tum intermittentibus non ſemper tuta, & Atrophiæ prodromus eſt.

§. 28. Sudores frigidi particulares colliquativi mali ſunt: Et qualiſcunque ſit ſudor, ſi ægrum non juvat, innutilis eſt. In forti apoplexia, ſi reſpiratio ſenſim imminuatur, & ſudor copioſus fluat, inſtantis mortis eſt prænuncium.

§. 29. Hæmorrhagia narium, reſpondens ægrotantis & morbi naturæ, ſalutem ſpondet, quocunque fiat tempore, modo non in quanto excedatur. Sed ſtillicidium narium infauſtum præbet prægnoſticum.

§. 30. Menſes, fluentes in morbis acutis extra ordinem & conſuetum tempus, metum ſiniſtri eventus non parum augent. Et ſi conſueto etiam tempore erumpant, non rarò tamen funeſtum prædicunt eventum. Die critico fluentes ferè ſemper ſalutares fuiſſe HIPPOCRATES obſervavit.

§. 31. Hæmorrhoidum fluxus, limites non excedens, in quocunque morbo eſt beneficium Naturæ.

§. 32. Sputum æquale non fœtidum, & quod ſine

ſine magno labore & dolore rejicitur, in thoracis morbis albo calculo dignum: Contrarium ſi contingat, magnum quoque periculum portenditur.

§. 33. Tubercula, & abſceſſus nigricantes in extrematibus artuum, vel in partibus membranoſis, vel etiam retrò aures, in acutis ſummam malignitatem produnt, & perniciem minantur.

§. 34. Color nativus in flavum vel citrinum mutatus ſymptomaticè non criticè, ſæpiùs in acutis lethale fuit ſignum.

§. 35. Oculi torvi, & in quibus lumen jam extinctum videtur, convulſiones & ipſam mortem indicant.

§. 36. Malum eſt in acutis, ſi lingua ſit tremula, nigra, arida, dura.

§. 37. Fauces exulceratæ in febribus nunquam ſuſque deque habendæ ſunt. Habent enim conſenſum cum ventriculo, inteſtinis, cerebro & toto ſyſtemate nervoſo; hinc facilè gangrænam contrahunt, toti œconomiæ animali damnoſam. Vidi in dyſenteria omnes illos fuiſſe extinctos, qui de difficultate deglutiendi & linguæ tumore conquerebantur.

§. 38. Peſſimum eſt, ſi externa algeant & interna urantur.

§. 39. Livor ſub unguibus digitorum habetur

tur pro inſtantis mortis prænuncio, fortè quia cadaveriſatus ſanguis citiùs in partibus remotioribus reſtagnat & vaſcula capillaria confringit.

§. 40. Agmen tandem claudit Facies Hippocratica, certiſſimum in morbis mortis prænuncium. Eſt autem hæc; Naſus acutus, cavi oculi, adſtricta tempora, aures frigidæ & contractæ: Cutis circa frontem dura, intenta, arida, & color totius vultus viridis aut niger.

Caput Sextum.

De Criſi, & Diebus Criticis.

§. 1.

Doctrina de criſi omnium eſt difficillima, & non ſolùm tot retrò annis medicorum vexavit ingenia, ſed hodiernis etiam medicis in abditis rerum cauſis explicandis occupatiſſimis multum faceſſit negotii, ut eò faciliùs veniam mihi pollicear, ſi fortè erravero in re à paucis publicè ventilata.

§. 2. Deſcribitur autem criſis, quod ſit ſubita aliqua in morbis acutis vel ad mortem vel ad ſalutem cum inſigni corporis mutatione à natura,

tura, cujus miniſter eſt medicur, inſtituta mutatio. Vel eſt talis naturæ irritatæ actio, qua præviâ inſigni in liquore vitali & animali turbatione materia morbifica vi quaſi foras eliminatur, ipſaque natura morbum in triumphum ducit.

§. 3. Ut cauſam admirandæ hujus excretionis clariùs percipiamus, operæ pretium erit, poſitiones quaſdam præmittere, quibus ſtabilitis ipſa cauſa in apricum duci queat. Nempe notari velim. 1. Quod omnes partes totius corporis humani in eo conveniant, manentque in ſuo ſtatu donec ab alio deturbentur; quod ſi in ſuo ſtatu turbentur, priorem retinere contendunt, ſibique auxiliatrices præbent manus; natura enim ſuî conſervatrix, quæ tamen omnia citra ullam aliquam cognitionem merè mechanicè peraguntur. Hinc illuſtris ille Naturæ Interpres D. BOYLE *in Tr. de utilitate philoſophiæ experimentalis* pulchrè monet, quòd corpus humanum ut Machina quædam incredibili arte fabricata ſpectari debeat, adeò, ut partes vel longius diſſitæ in conſenſum illius, quæ affecta eſt, ſtatim trahantur. Quod ſi chalybis elaterium avulſum à ſclopeto manibus contrectes, non magnum quiddam aut inſolitum efficies; ſed ubi cum aliis partibus, quæ ad bombardile pertinent, aptatur, ſi id vel digito moveris, tum & ſubi-

ſubitus ignis perſtringet oculos, & ingens ſonitus aures percellet, & emiſſus globus magno impetu erumpet. Non diſſimili quidem ratione ſi partes non ſeparatim, ſed ut ſimul aliæ aliis aptæ & connexæ inſpiciantur, minùs quidem mirabimur, ſi tanta ſit inter eas, quantam cernimus conſenſio. Quod ſi lucidi corporis aſpectus ſternutationem, qua totum corpus concutitur, efficiat; quique ex editiore loco terram intuetur, vix apud ſe eſt, ſed velut vertigine correptus nutat, & genua trementia labaſcunt; Si agitati maris aſpectus vomitum ciet; Si titillatio totum corpus tam vehementer exagitat; ſi hyſtericas mulieres vel ſuaviſſimi odores conturbant; ſi infirmos, aut magno vulnere olim affectos aëris mutatio adeò lædit, cum tonus aut partium contextus fuit aliqua ratione vitiatus; ſi perturbationes animi tantas in noſtris corporibus ſtrages edunt; atque, ut Helmontii exemplis utar, ſi ſubita triſtitia appetitum proſternit, rei nauſeabundæ aſpectus vomitum excitat; pavor repentinus epilepſiam & paralyſin interdum creat, quis porrò dubitabit, humores acres & malignos membranas corporis noſtri & glandulas excretorias ad ſecretionem & excretionem irritare & ſollitare poſſe, ut natura onere iſto levata priſtinæ reſtituatur integritati?

2. Obſervandum eſt, per naturam nec mentem,

tem, nec principium quoddam internum neſcio quod; nec vinculum iſtud animam & corpus jungens, intelligi, ſed motum, ſitum, figuram & magnitudinem, quæ revera benigniſſimam matrem Naturam conſtituunt, per quam omnia phœnomena, in œconomia animali, tum manifeſta, tum quæ vulgò pro occultis habentur, ſecundum leges, à potentiſſimo illo Naturæ Authore DEO in prima creatione latas, producuntur. Quod enim animam rationalem attinet, nec hæc adeò potens eſt in ſuo corpore, ut humorem aliquem morbificum expellat, utpote cujus collectionem, quicquid etiam in contrarium moliatur, nunquam impedire poteſt. Sin verò principium aliquod internum ſupponere velimus, hoc equidem fieri poſſet, modo illud quid ſit exprimatur, quouſque etiam illud à foro medico excluditur. De ſpiritu verò vitali major lis movetur, quem ceu mediæ naturæ concipiunt, ut magis aptus ſit pro copula & vinculo inſervire, quo anima & corpus ad tempus conjungantur, cui etiam in expellenda materiâ peccante & tuenda valetudine per ſuas facultates primas deferunt, eumque naturæ nomine inſigniunt. Verùm enim verò cum ſubtilior pars ſanguinis nunquam ceſſet eſſe corpus, nec tantillum de natura corporis deperdat, quamvis neſcio ad quam ſubtilitatem uſque meteo-

meteoriſetur, non capio, quomodo ſubtile quid, æquè corpus ac craſſum, animam ſibi vinciat plus quam ipſum corpus. Et ſi daretur tale vinculum naturæ hermaphroditicæ, participans & de natura ſpirituali & de corporea, revera majorem merebitur admirationem, quam totum compoſitum, ex eo, quod partim eſſet ſpiritus, partim corpus, ſicque poëtarum Pegaſo vel Sirenibus non abſimile foret. 3. Porrò notandum venit, nos non admodum curioſos eſſe debere in rimandis cauſis criticarum iſtarum mutationum, de quibus apud authores, cum in noſtris regionibus & hoc noſtro tempore tales criſes non ampliùs fiant, hinc etiam prædictiones noſtræ in morbis acutis non adeò certæ ſunt nec indubitatæ fidei, prout apud Hippocratem reperiuntur, qui in alio vixit climate, ubi alia phœnomena, nobis rarò vel nunquam conſpicienda, apparuêre. Tandem 4. & hoc monendum omnes liquores fermentativos diverſum habere particularum contextum: Hinc enim fit, ut unus præ alio citius vel tardiùs fermentationis tempora percurrat, nuncque tot diebus, nunc verò tot ſeptimanis ad ſtatum depurationis ducatur. Eodem ferè modo ſanguis nunc citiùs nunc tardiùs efferveſcentiam ſubit, eamque pro diverſitate ſubjectorum, nec non anni temporum, nunc citiùs nunc tardiùs ab-

 ſolvit;

ſolvit; habet nempe hoc à craſi ſua ſeminali, in qua vita radicaliter hæret, ut nunc ad hunc nunc ad illum fermentationis modum & effervescentiæ gradum magis proclivis ſit. Conſiſtit autem ſeminalis craſis in duorum iſtorum ſalium acidi & alcali congreſſu plus vel minus proportionato, de quo paulò poſt.

§. 4. Quibus præmiſſis dicimus cauſam efficientem & proximam criſeos eſſe Naturam, quæ ſola eſt morborum medicatrix; cumque omnis motus ſit à materia ſubtili, huic etiam primas in hoc arduo negotio merito deferimus. Hæc enim à prima infantia ſanguinem permeare ſolita, ubi jam cum peregrinis humoribus fermenteſcibilibus peregrina materia ætherea, alius nempe generis, hoc eſt alius motus, alius figuræ, &c. introducitur, magno cum impetu foris advenientem aggreditur, eamque ſubigere vel expellere contendit, id quod cùm magnâ totius corporis, omniumque partium tam ſolidarum, quam fluidarum concuſſione & perturbatione fieri ſolet. Quod ſi peregrina illa materia ætherea prædominium obtineat, & priorem expugnet, Natura ſuccumbit, & ſanguinis motus, nec non ejuſdem particularum figura ſitus & magnitudo deſtruuntur, & ex corpore vivente fit cadaver.

§. 5. Cauſa autem Materialis eſt humor acris & ma-

& malignus, vel ſanguini illatus, vel in ſanguine generatus, longiſſimè à ſtatu priori recedens, reliquoque ſanguini motu & mixtione repugnans; Hic glandulas excretioni dicatas, in quacunque corporis parte ſitæ ſint, irritat, & ad ſui excretionem invitat, hinc ſubitaneæ illæ in morbis acutis ſequuntur excretiones per alvum, per ſudores, per urinam, &c.

§. 6. Cauſam adjuvantem dicimus eſſe influxum Lunæ & Siderum, quæ criſin varie modificare poſſunt, ſi in novi vel plenilunium, vel æquinoctia & ſolſtitia incidat. Ad cauſam adjuvantem referimus etiam ipſarum partium corporis noſtri fabricam, pororumque certam configurationem, ob quam per hanc potiùs partem quam per aliam excretio inſtituitur.

§. 7. Modus criſeos duplex eſt; vel enim fit per manifeſtam aliquam excretionem, quando nempe humores per alvum, per ſudores, per hæmorrhagiam narium, alvi, uteri, excernuntur: Vel per tranſlationem & metaſtaſin, quando humor vitioſus in partem aliquam ſolidam effunditur, ibidemque tumorem, bubonem, abſceſſum producit. Quo autem pars illa ſolida ratione uſus ſui eſt ignobilior, eo tutior etiam erit hæc tranſlatio.

§. 8. Criſis alia eſt ſalutaris, quæ nempe fida eſt, & apparentibus ſignis coctionis, die critico,

cum excretione vel tranſlatione naturæ ægrotantis & morbi conveniente inſtituitur; nullum enim paucum eſt criticum: Alia eſt imperfecta, ſæpiùs etiam infida, cujus cauſa quærenda eſt in Materiæ ſubtilis innatæ, ut ita loquar, paucitate, ſanguinis diſcraſia, humoris peccantis viſciditate, glandularum & pororum obſtructione vel configuratione minùs proportionata.

§. 9. Fiunt autem hæ mutationes plerumque ſtatis diebus, quos propterea criticos appellant, ſuntque 4. 7. 9. 11. 14. 17. 20. & 24. Quamvis nec hoc diffiteri poſſim, in praxi numerum hunc dierum non ſemper obſervari, & ſæpiùs aliis etiam diebus criſes fieri, id quod abundè jam variis exemplis probavit COMES DE FLISCO *L. de Fato*. Neque opus eſt, ut in explicanda cauſa, quare hoc potius die quam alio, critica talis fiat mutatio, ad Lunam confugiamus, cum, ut jam antea dictum, ordo iſte dierum non ſemper obſervetur, deinde id videatur Lunæ tribui, quod potiùs humoris fermentantis conditioni & peculiari corporis texturæ acceptum ferendum, quod in aliis liquoribus fermenteſcibilibus quotidiè obſervare licet, ut non abſque ratione WILLISIUS neget, criſes à lunæ ac ſiderum influentiis omninò dependere, eorundemque aſpectus quadratos, oppoſitos, aut συζυγίας ſequi, cum potius à materiæ ad-

aduſtæ congeſtione & turgeſcentia evacuationes criticæ determinentur. Et ſi materia febrilis, in tubulo partis alicujus ſolidæ collecta, & febrem intermittentem producens, tam accuratè dies & horas metitur, quidni idem fieri poterit ab humore vitioſo, febrem continuam & acutam excitante?

§. 10. Sperari verò debet criſis, ubi jam ſigna coctionis apparent. Quibus criſis fit, his nox gravis ante acceſſionem, & tunc inquietudo, dolor capitis, anxietas, ſitis inexplebilis, aliaque nova producta accedunt.

§. 11. Facilè quoque ſciri poterit, per qualem excretionem criſis ſit futura, modò attendatur ad ſanguinem jam copioſius affluentem ad partem, per quam fieri debet criſis, ibidemque inſolitam aliquam mutationem producentem.

§. 12. Quæritur, num criſis ſemper expectari debeat? Reſp. cum Hoffman. & Helmontio negativè. Poteſt enim materia turgeſcens præcipitari, & poſtmodum evacuari, quo ipſo omnis ſpes criſeos, quæ dubii eſt eventus, præſcinditur, ipſaque criſis antevertitur.

INSTITUTIONUM MEDICINÆ LIBER QUARTUS.

SIVE

PARS HYGIEINH.

Caput Primum.

De Conſervanda Sanitate in Genere.

§. 1.

In conſervanda Sanitate ad ſanguinem & ſuccos à ſanguine dependentes ſemper reſpiciendum, & fermentationis in ventriculo & recrementitiorum humorum evacuationis potius habenda eſt ratio: nam vitia coctionis primæ nullibi

nullibi corriguntur. Hinc eſt quod multi morbi chronici, & ipſa arthritis & renum calculus, radicaliter ſint ex ventriculo. Itaque ante omnia vitale illud Acidum, quod occulte ineſt ſanguini, ventriculo vero manifeſte, ſale tamen alcalico temperatum, toto vitæ curriculo in ſtatu mediocritatis, quantum poſſibile eſt, conſervari debet. Nam omne nimium naturæ eſt inimicum.

§. 5. Deinde, cum conſuetudo ſit altera Natura, non temerè ab illa recedendum. Nam conſueta longo tempore, etſi deteriora ſint, minus moleſta eſſe ſolent. 2. *Aph.* 50. Hinc ſæpius fit, ut cibi deteriores & concoctu difficiliores aſſueti inſuetis melioribus minus noceant, quod jam ſanguis ex ejuſmodi conſtet particulis, in quarum motum & mixtionem deteriora illa alimenta magis conſpirant, ipſumque ventriculi fermentum magis aptum natum eſt, cibos tales diſſolvere, quia in illis hominibus plerumque magis activum eſt. Et medicamenta ſæpius aſſumta nihil operantur, quia frequentiori uſu ſanguini fiunt affinia, hoc eſt, ipſe ſanguis & fermentum ventriculi ſucceſſu temporis ab illorum uſu ita diſponuntur, ut vel in ventriculo ſtatim caſtrentur, vel ad ſanguinem delata ſimili motu cieantur. Videmus etiam in illis, qui ſpiritus ardentes & fumum nicotianæ

 amant,

amant, quod malè ipſis conſulatur, ſi contraria diæta ſeverius commendetur; nam omnis ſubita mutatio eſt periculoſa. Hinc melius eſt, ſi ſenſim à prava tali conſuetudine in contrariam flectantur; Natura enim vult duci, non cogi. Vide de conſuetudine SENNERTI *Paralip. c. 9.*

§. 6. Porrò ut ſummum jus eſt ſumma injuria, ſic exquiſitiſſima vivendi regula ſumma eſt miſeria, quia laxior diæta plus confert valetudini tuendæ, quam ſi anguſtis Scholæ Salernitanæ cancellis uni individuo ſaltem appropriatis, includatur, modo non abutamur illa vivendi licentia, & ab uno extremo ad aliud delabamur. Equidem negari nequit, quod ii, qui definitam aliquam regulam vitæ ſervant, caſu aliquo incidente graviter ægrotent, interdum etiam plane moriantur. Unde licet quandoque ad inſolita facienda tranſire. Neque fortè melior datur diæta illâ, cujus CELSUS Lib. 1. mentionem facit. *Sanus homo, inquit, & qui bene valet, & ſuæ ſpontis eſt, nullis obligare ſe legibus debet, ac neque medico neque aliptâ egere. Hunc oportet varium habere vitæ genus, modo ruri eſſe, modo in urbe, ſæpiuſque in agro, navigare, venari, quieſcere interdum, ſed frequentiùs ſe exercere, ſiquidem & ignavia corpus hebetet, labor firmet; illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcen-*

leſcentiam reddat. Prodeſt etiam interdum balneo, interdum aquis frigidis uti, modo ungi, modo idipſum negligere, nullum cibi genus fugere, quo populus utatur, interdum in convivio eſſe, interdum ab eo ſe retrahere, modò plus juſto, modò non ampliùs aſſumere: bis die potiùs, quam ſemel cibum capere, & ſemper quam plurimum, dum modo hunc concoquat.

§. 7. Et quamvis illi, qui integrâ gaudent valetudine, ægrè ferant medicationes, idipſum tamen nonniſi de purgantibus & V. S. intelligendum eſt, præſertim ſi intempeſtivè adhibeantur. Si enim ejuſmodi præſidiis uti velis, tempore vernali fieri debet: Intereà quandoque balſamicis & ſtomachicis uti licet, v. g. Elixirio proprietatis, Elixirio fermentativo, Succolada Indica, Eſſentia Ambræ, Spiritu volatili, Malvatico Juniperino.

§. 8. Pilulæ Francofurtenſes frequentius aſſumtæ ob aloen nocent, & alvum magis adſtrictam reddunt; unde errant illi, qui ad alvum lubricitandam illis promiſcuè utuntur. Præfero his pilulas gummoſas, inteſtinorum & ventriculi ſordes minori cum damno expurgantes.

Caput Secundum.

De Diæta pro Ætatis Diverſitate.

§. 1.

Quamvis ſanis omnia ſint ſana, non tamen omnibus una eademque vivendi ratio conveniens eſt, ſed pro ætatis varietate, variæ etiam dantur diætæ gradus. Hinc operæ pretium erit, ut ad ſpecialiora deſcendamus, viſuri, qualis diæta à primordiis vitæ ad decrepitam ſenectutem uſque obſervanda ſit. Ubi ſtatim notandum venit, quod Sennertus monet, totius ſanitatis fundamenta in prima conceptione quaſi jaci, & futuræ ſanitatis vel bonæ vel malæ principia à parentibus in fœtum derivari; id quod morbi hæreditarii, podagra, phthiſis, calculus, apoplexia, hydrops, aliique teſtantur. Dependet enim reverâ craſis ſeminalis ſanguinis ipſius fœtus à gradu efferveſcentiæ auræ ſeminalis virilis cum liquore genitali muliebri, qui gradus ab acidi & alcali concurſu plus minus proportionato proficiſcuntur. Deinde vitioſi quandoque humores in tubulis partium ſolidarum fœtus, in utero conſtituti, colliguntur, qui de-

demum, multis poſt annis à cauſa aliqua foris adveniente excitati, œconomiam animalem variè turbant, & morbos chronicos producunt, quorum ſemina in ipſo utero fuêre generata; ut vel eo magis neceſſe ſit, ut gravida ſedulo ſibi ab omnibus caveat, quæ infanti noxam inferre poſſunt, & ut ſedulam fœtus etiam nondum nati habeat curam.

§. 2. Debet itaque gravida vitare aërem fœtidum, impurum, pluvioſum. Nocent enim fœtui omnia fœtida, nec non graveolentia & fragrantia. Fugiat fructus horarios, facilè fermenteſcibiles. Jubeat exulare cibos acres, ſale volatili abundantes, pingues, flatulentos, abſtineat ab uſu medicamentorum diureticorum, purgantium, clyſterum, & ſternutatoriorum, quæ facile abortum procurant. Porrò nocent gravidis motus vehementiores, præſertim primis menſibus, terror, ira, ponderis elevatio, brachiorum extenſio, pedum divaricatio. Quod ſi gravida cibum aliquem appetat, cujus particeps fieri nequit, ſtatim ipſi detur Balſamus Embryonum, Aqua Epileptica Langii, Aqua cinamomi borraginata vel cydoniata, Aqua fl. Aurantiorum, Eſſentia panis cum Vino Malvatico. Prætereà ab abortu etiam præcavet venæ ſectio medio geſtationis tempore adminiſtrata, quam tamen urgente neceſſitate & pri-

mis

mis & ultimis menſibus pari ſucceſſu adhibitam fuiſſe novimus. Parem laudem merentur pulveres pretioſi, ſolares, Corallorum, Morſuli ex Amygdalis & Nuce Moſchata. Plura notatu digniſſima vide in collegio Mſſ. Celeberrimi ETTMULLERI *de regimine gravidarum.*

§. 3. Quod ſi infans nunc in lucem editus ſit, non ſtatim lacte nutriendus, ſed ipſi aliquid ſacchari penidii cum oleo amygdalarum recenter expreſſo dandum, ut meconium prius evacuetur, cœteroquin graviſſimorum morborum parens. Poſt lacte materno, & ſi hoc non ſufficiat, pulte ex pane triticeo exſiccato, & lacte vel aqua, nutriatur, donec ſenſim ſolidioribus aſſueſcat cibis, ut ablactari poſſit: Vinum nunquam bibat. Vide iterum prælaudati ETTMULLERI *Valetudinarium infantile.*

§. 4. Pueris nocent lacticinia, mellita, & ſaccharata, quia hæc ætas lumbricis valde obnoxia eſt. Et, cum jejunium non benè ferant, ſæpius de die cibari poſſunt, ita tamen ut evitatis omnibus viſcidis cibi εὔπεπτοι & boni ſucci eligantur.

§. 5. Quod ſi animum ſtudiis applicare debeant, in eo potior locanda erit opera, ut per convenientem diætam ſpiritus animales puri & ſatis mobiles ſerventur, totumque cerebrum ab impuritatibus immune exiſtat, quod facilè obtineri

tineri poterit, ſi ſanguis in ſuâ craſi, quantum poſſibile, conſervetur. Hinc vitare debent viſcida, legumina, flatulenta, vigilias nimias, ſomnum nimium, excrementorum detentionem, ſtudia intempeſtiva & in multam noctem protracta.

§. 6. Juvenibus balnea moderatè adhibita valdè proſunt; dum econtra ipſis inſidias ſtruunt, ira, venus, Bacchus, purgantia fortiora, aromatica, cœteraque calidiora ſanguinem nimium exagitantia.

§. 7. In ætate media maximi committuntur errores, præprimis circa cibi, potus & veneris uſum, quibus vita abbreviatur, vel ſaltem morbis fores aperiuntur; hinc eſt, quod hujus ætatis errores in ſenectute luere cogamur, & ſæpius magis peccata mediæ ætatis quam juventutis deploremus. Eò itaque annitendum, ut in adminiſtrandis ſex rebus non naturalibus mediocritatis leges obſerventur, præſertim quoad cibum ſumendum, ne vel quantitatis vel qualitatis exceſſus admittantur, ita tamen, ut quantitatis potior habeatur ratio quam qualitatis; illa enim dependet à noſtro arbitrio, eamque declinare poſſumus, hanc verò pro nutu eligere, non ſemper penes nos poſitum eſt.

§. 8. Quæritur itaque, quâ quantitate cibus aſſumi debeat? Reſp. Hanc nos non poſſe pondere

dere vel numero metiri, propter ſubjectorum varietatem, diverſumque vitæ genus. Quod ſi tamen convenientem quantitatem ſcire velis à priori, attendendum tibi erit ad fermenti ventriculi energiam, ipſorumque ciborum naturam. Si enim liquor gaſtricus benè ſit diſpoſitus, ſemper tantùm appetet, quantum fermentare poterit, ſicque ad ſatietatem comedere licebit. Sin verò fermentum nimis acidum ſit, vel etiam nimis fixum, tum plus appetitur, quam concoquitur, & tali in caſu ſanitatis ſtudium eſt, non ſatiari cibis, ſed cum reliquiis famis à prandio vel cœnâ ſurgere. Deinde cibi concoctu faciliores liberaliori manu quoque ſumi poſſunt, nec quantitas tam facilè nocebit, quam ſi alimenta viſcida & concoctu difficiliora largius aſſumuntur. Enim vero errorem talem in quantitate quoad exceſſum commiſſum fuiſſe, facilius & evidentius cognoſcitur à poſteriori. Si enim appetitus elapſis ſex horis redeat, & nullus peregrinus ſapor in ore deprehendatur, neque ructus acidi vel etiam nidoroſi exſurgant, ſi nulla ventriculi adſit inflatio, nec flatuum copia, nox inſequens ſit tranquilla, mane caput non ſit grave, alvus reſpondeat, & in cœteris ad munia tua obeunda ſis ſat alacris & vegetus, etiamſi tunc ad ſatietatem comederis, omnia tamen ſe bene habere perſuaſum habeas. Quod ſi

con-

contraria appareant phœnomena, te in exceſſu peccaſſe, evincunt, atque ut in poſterum à tanta ſatietate abſtineas, jubent.

§. 9. Quæritur etiam, an ventres hyeme ſint calidiores quam æſtate? Reſp. Hippocrates hoc quidem voluit, ſed quia argumenta deſumſit ex hypotheſi illa, quâ ſupponitur, coctionem in ventriculo fieri à calore per elixationem; hinc meritò de veritate hujus regulæ adhuc dubitatur: Niſi fortè dicere velimus acidum potentius eſſe in hyeme quam æſtate, & hinc appetitum etiam majorem hyberno tempore eſſe, quam æſtivo, corporaque calidiora cenſeri: ſecus enim ſe res habebit, ſi attendere velimus, quod ſitis tempore æſtivo magis urgeat; Quod materia ætherea copioſius corpus noſtrum permeet; Quod etiam frigida æſtate meliùs feramus quam hyeme; quodque omnes fermentationes illo tempore potentiores ſint, quam hoc. Quibus poſitis veriſimiliùs videtur, ventres tempore æſtivo eſſe calidiores, quam hyeme. Neque enim dici poterit, corpora in locis orientalibus viventia frigidiora eſſe noſtris corporibus, quod tamen ſequi deberet, ſi rationes, quibus Hippocratis effatum ſtabilire nituntur, aliquid ponderis præ ſe ferrent. Et argumentum deſumtum à comparatione cum cellis, aliiſque locis ſubterraneis, fragili innititur fundamento, nempe

nempe antiperiſtaſi, qua ſublata totum corruit ædificium.

§. 10. Quoties autem de die cibus capi debeat, determinari nequit. Si enim quis laboribus valde ſit deditus, & fame ſæpiùs urgeatur, huic quater de die comedere licebit. Sin verò fames inducias concedat, ſufficiet prandere & cœnare, ita ut ſi prandium fuerit largius, cœna debeat eſſe tenuior, ſin non benè pranſus ſis, eò largius cœnabis.

§. 11. Quæri porro ſolet, an ventriculus noctu meliùs chylificet, quam interdiu? Puto noctu meliùs perfici chyliſicationem, quia ipſa vegetabilia noctu magis animari & nutriri videmus quam interdiu: Et ſpiritus animales noctu non ita depauperantur vel avocantur, multò minus reliquæ partes ſpirituoſæ atteruntur. Hinc, quamvis fermentationes tempore ſomni ſint debiliores, tamen hæc, quæ noctu fit, magis proportionata eſſe videtur negotio chylificationis, quam quæ fit interdiu. Quod verò plus temporis interponatur inter cœnam & prandium, quam inter prandium & cœnam, hoc fit ob cauſam longè aliam.

§. 12. Tandem quæritur etiam, utrum ſomnus à prandio vel cœna conveniat? Reſp. utique licere à prandio aliquandiu dormire: Nullam enim cauſam prægnantem video, quæ contrarium

rium ſuadeat. Et ſi noctu dormire licet citra ſanitatis diſpendium, quidni interdiu? Modo horula illa, quam interdiu dormiendo tranſegiſti, nocturnis ſubducatur. Quæ de vaporum aſcenſu ad cerebrum hic proferuntur, inter figmenta referri merentur: ſi enim vapores tales aſcenderent, breviori itinere per viam magis patulam palatum, nempe egredi poſſent.

§. 13. Cavendum tamen ne quid nimis. Studia enim quòd attinet, illa in longam noctem ne protrahantur, quin potiùs horâ nonâ laboribus tuis diurnis colophonem imponas, teque ad ſomnum componas, æſtate, horâ quartâ matutina, hyeme verò horâ quintâ ſurrecturus, quod ipſa natura docere videtur; nam horis matutinis ſumus alacriores, & inſignem refocillationem percipimus, quando jam ſol ad noſtrum redit hæmiſphærium, & uliginoſa effluvia diſcutit. Et ſomno non ſolum diurno, ſed & nocturno religioſe utendum.

§. 14. In ſenili ætate rariùs medicandum, nunquam fortioribus catharticis purgandum; ſomnus ſenibus ſit longior, quia ſomnus humectat. Offerantur ipſis cibi boni ſucci & bonæ fermentationis. Commendo pro potu vinum vinoſum, generoſum, annoſum, ſapore gratum, colore fulvum; hoc enim eſt Lac ſenum. E confortantium claſſe commendamus

 Elixi-

Elixirium vitæ Matthioli, zz. conditum, Nucem Moſchat. condit. Succoladam, elixirium pretioſum ex oleis deſtillatis, Carnem viperinam, Ambram & Moſchum.

CAPUT TERTIUM.

De Alimentorum Facultatibus.

§. 1.

Alimentum eſt, quod in corporis noſtri ſubſtantiam convertitur; deſumitur ex regno animali & vegetabili.

§. 2. Panis Secalinus vitale in ſe continet acidum, naturæ noſtræ amicum, ut Triticeo meritò præferatur, qui viſcidus magis videtur, nec adeò firmum præbet alimentum.

§. 3. Legumina ſunt viſcida & flatulenta.

§. 4. Quæritur, an lentes in variolis expellendis tantoperè conveniant, prout vulgus perſuaſum habet? Reſp. Lentium uſus quandoque proficuus fuit, non, quod vi expulſiva ob ſignaturam polleant, ſed quatenus ſanguinem parum inſpiſſant, nimiamque turbationem ſanguinis impediunt; niſi enim illi obex ponatur, facilè totius ſanguinis craſis ita ſolvitur, ut nunquam reſti-

reſtitui poſſit. Quod ſi ebullitio ſanguinis non ſatis valida & potens ſit, lentes plus nocent, quia ſeparationem humoris excernendi impediunt.

§. 4. Rapæ craſſioris ſunt ſubſtantiæ, viſcerum obſtructiones pariunt & flatus generant, hinc capiti nocere videntur. Quod ſi terreſtreitas illa decocto primario auferatur, tunc ſecundarium apprimè convenit in Febre quartana, Melancholia, Tuſſi, Raucedine & Stranguria.

§. 5. Radix Siſari, Napi & paſtinacæ ſativæ abundè ſatis nutriunt & copioſum chylum ſuppeditant. De Paſtinaca tamen notari velim, quod diutiùs telluri commiſſa ſitum contrahat: hinc eſt, quod comeſta gas narcoticum ſanguini & liquori animali afflet, ut ſopor, delirium, inflatio ventriculi, & ardor faucium inde oriatur.

§. 6. Raphanus abundat ſale volatili, mucum ſtomachalem reſolvit, & diureſin promovet. Raphanus ſylveſtris ſcorbuticorum eſt ſolatium, quia ſale volatili præditus eſt; hinc in cruditate acida corrigenda egregiam navat operam. Eaſdem ferè vires poſſidet ſinapi; hinc ad apoplexiæ humoralis præſervationem à nonnullis commendatur.

§. 7. Allium ſale cauſtico luxuriat, volatili

tamen; hinc valdè calidum eſt, necat vermes, prodeſt hydropicis, & in locis ſeptentrionalibus habetur in deliciis. Quo cœpas & porrum referimus, quatenus acredinis gradu à priori ſaltem differunt.

§. 8. Endivia, Lactuca, æſtum compeſcunt & alvum relaxant. Aſparagi aperiunt. Naſturtium hypochondriacis convenit.

§. 9. Braſſica capitata ſale condita acido ſuo peregrino inordinatas producit fermentationes, variaſque in inferioris ventris œconomia excitat turbas. Interim grata ſua aciditate palato arridet, & linguam titillando, odoreque ſuo & colore blandiendo, inter cœteras dapes omnium in ſe convertit oculos. GUARINONIUS eam ſummis laudibus extollit & Theriacam omnium ferculorum appellat.

§. 10. Caro ſuilla ob glutinoſitatem ſuam male audit, & difficilioris cenſetur coctionis. Caro vervecina, aprugna, vitulina, bubula, leporina & cervina, ſuppeditant ſanguini ſuccum ſatis laudabilem. Agnina nocet febricitantibus. Animalium viſcera & extremitates ob fibroſam viſcidamque texturam non benè chylificantur.

§. 11. Carnes gallinarum, galli junioris, galli Indici, perdicum, turdorum, caponum, alaudarum, inter cibos ſalubres ſibi primum ferè ven-

vendicant locum, Anſerum & anatum juniorum poſtremum.

§. 12. Inter piſces ſuperbiunt Salmo, Trutta, Lucius, Perca, Carpo, fundulus & harengus.

§. 13. Cancri præbent ſuccum aquoſum & tenuem, ſanguinis acrimoniam temperantem; aſt quoad reliquam ſubſtantiam æquè difficiles ſunt concoctu ac cochleæ & teſtudines.

§. 14. Omnes fructus horarii crudi comeſti facilè in putrilaginem abeunt.

§. 15. Fungi ex familia excrementorum prodeunt, & in excrementa revertuntur.

§. 16. Saccharum acido ſuo volatili inimicum eſt ſanguini, nervis, & dentibus. Mel autem facilè bileſcit, & inordinatas producit in corpore fermentationes, præſertim ſi aliis cibis miſceatur.

§. 17. Lac optimum corporis noſtri eſt alimentum, quo non datur in rerum natura præſtantius. Metus ille, quod nempe febres excitet, quod obſtructiones pariat, quodque flatulentum ſit & facile aceſcat, revera vanus eſt. Si enim noceat, hoc non tam lacti, quam aliis cibis, qui penitus proſcribi debebant, vel acido vitioſo in primis viis hærenti, acceptum ferendum.

§. 18. Caſeus recens difficilius fermentatur,

quam antiquus; ſed & hic ſuos patitur manes; & ſanguinem in inordinatos ciet motus. Butyrum optimè nutrit.

§. 19. Cùm jam l. 2. dictum ſit, quotuplici modo potus peccet, reſtat ut de ipſis liquoribus, qui potum ſuppeditant, pauca annectantur. Ex omnibus potulentis autem antiquiſſimam eſſe Aquam, & poſt hanc Lac, nemo facilè ibit inficias. Cœperunt enim homines ab orbe condito ſitim aquâ reſtinguere, quâ ſolâ in locis illis orientalibus facilè contenti eſſe poterant, tum quod ſimplici uterentur victu, tum quod exæſtuantem haberent ſanguinem, frigida temperandum. Neque dubitandum eſt, quin & nobis aquæ potus eſſet ſatis conveniens, modò à prima infantia illi aſſueſceremus.

§. 20. Præfertur autem aqua fontana, clara & cryſtallina, nullo peregrino ſapore prædita, valdè levis & inodora. Aquæ bonitatem cœteroquin explorant coctione, pondere, (de quo KIRCHERUS *in deſcriptione Latii veteris & novi*, nec non *in mundo ſubterraneo*,) & effectu, ſi nempe lintea dealbet & eorundem ſordes probè abſtergat, in quo noſtra Marpurgenſis nulli facilè cedet.

§. 21. Putealis, paluſtris, pluvialis & fluviatilis multo eoque limoſo ſcatent tartaro, & hauſtæ fœculentias terreſtres in primis viis deponunt,

nunt, multorum morborum etiam chronicorum genetrices.

§. 22. Nigro quoque notantur carbone aquæ minerales, de Salė, Alumine, Vitriolo vel Nitro participantes, ſi pro potu ordinario adhibeantur, Neque cum illis facimus, qui acidulas in prandio & cœna bibunt, quo ipſo chylificationem turbant & nutritionem ſufflaminant. Dandum tamen & hic aliquid conſuetudini, quia Schwalbacenſes, Pyrmontani, Geiſmarienſes & Wildungenſes Incolæ acidulas ſuas quotidiè citra ullum ſanitatis diſpendium largiter bibunt, nec aliud potulentum habent, quo ſitim compeſcant.

§. 23. Verùm enim verò, cum ab eo tempore, quo homines vineta inſtituerunt, aqua plurimis in locis in deſuetudinem abierit, & vini uſus paulatim introductus ſit, quæritur, utrum vini potus ſanitati conſervandæ magis inſerviat, quam aqua? Reſp. Cum vino inſit acidum volatile, naturæ noſtræ & fermento gaſtrico amiciſſimum, modo illud nec in volatilitate nec in fixitate limites excedat, nullum dubium eſt, quin vinum plus præſtare poſſit in ſanitate tum conſervanda tum reſtituenda. Hinc videmus, quod delaſſati ex itinere, laboribus, nimia venere, poſt venerem etiam, in momento virium percipiant reſtaurationem, ſi

unum vel alterum cochleare vini ipſis exhibeatur. Ipſi moribundi mirum quantum vino refocillantur, ſanguinique itus in circulum redditur, ut vel inde conſtet, non dari in peſte & febribus malignis præſtantius cardiacum vino, modo cochleatim non verò plenis buccis hauriatur. Utrum verò pro potu ordinario magis conveniat, quam aquæ potus, de eo dubitari poteſt, cum vino tanquam medicamento, non verò alimento uti debeamus. Adeoque mos diluendi vinum aquâ nequaquam improbari poteſt, præſertim in naturis & locis etiam calidioribus; Si enim vinum aqua diluas, vinum quidem perdis, aſt ſi non diluas, te perdis: cum vinum crebrius ſumptum nervis cœteriſque partibus membranoſis nec non oſſeis ſit inimiciſſimum. Quod ſi cerevilia ad fallendam ſitim ordinario bibatur, illique hauſtus vini pro juvanda chylificatione & ſanguificatione ſuperaddatur, incommoda illa facilè evitari poterunt, quæ à vino nervis, ab aquâ verò ventriculo metuenda veniunt.

§. 24. Commendamus vinum tenue & album, nulla calce, nulloque acido tum fixo tum volatili & igneo infectum. Talia ſunt, quæque cœteris in Germania palmam eripere videntur, Hirſchſteinenſe, Michelbacenſe, Hochſtatenſe, Moſellanum, Necceranum. Plura de

vino-

vinorum differentiis vide apud B. SACHSIUM *in ſua Ampelographia*, & ERASMUM FRANCISCI, ubi hi leguntur Rythmi:

Der rauhe Wein verurſacht Grimmen/
Und pflegt der Gicht gern beyzuſtimmen/
Verlähmt die Glieder leicht und ſchwächt
Die Nieren / iſt Zipperleins ſein Knecht.
Kein Eh-weib ſoll ſich zu ihm dringen:
Weiln Er ſie um die Frucht kan bringen.
Der neu und ſüſſe füllt die Bruſt/
Und ſchafft zum Eſſen üble Luſt.
Ein alter überhitzt die Glieder:
Der ſaure ſchlägt die Wärme nieder.
Der rohte pfleget ſich verzehrn
Sehr langſam; und der dich kan nehrn
Am Leibe / das iſt nicht der weiſe:
Drum meide dieſen nur mit Fleiſſe.
Der ſtarcke ſchencket dir die Kapp /
Und Schellen / daß du wirſt ein Lapp:
Lern ja behutſam mit ihm handeln;
Sonſt kan Er dich zum Vieh verwandeln.
Wähl den geringen dir: So biſt
Du ſicher für der Reben Liſt.

§. 25. Vinum nive vel glacie refrigeratum noſtro ſub Climate pectori, inteſtinis, totique ſyſtemati nervino eſt infenſiſſimum: de cujus incommodis ipſe SENECA *Epiſt.* 78. conqueritur; Verum in Hiſpania aliiſque fervidio-

ribus regionibus citra ullum ſanitatis diſpendium quotidie bibitur, corporaque à febribus & peſte eo præſervari poſſe, perſuaſum habent. Vide BARTHOLIN. *de uſu nivis Medico.*

§. 26. Vino ſubſtituunt noſtrates vinoſum liquorem è pomis & pyris paratum, quem probè fermentatum, & ex fructibus maturis non acidis vel auſteris expreſſum, non uſque adèò inſalubrem cenſemus. Africani & Americani ex fructu Coffee, oryza aliiſque ſpirituoſos præparant liquores, noſtro vino virtutibus ne latum quidem unguem cedentes, de quibus DAPPERUS *in deſcriptione Africæ & Americæ.*

§. 27. Cereviſia bonæ notæ eſt, ſi bene defœcata & lupulo modicè condita ſit. Quod ſi flatulentiam in primis viis metuas, eam ligno Saſſafras & Cortic. Limon. & Aurant. facilè corriges. Præferimus eam quæ ex hordeo & avena paratur, cum triticea [vulgò Bryhanium] magis fœculenta & ſcorbuticis infenſa appareat. Semper tamen aëris & aquæ ratio habenda, quæ in cereviſiæ differentia omne ferè ferunt punctũ.

§. 28. Poſſunt & alii liquores palato non ingrati, quibus & ſitis fallatur & inſimul ſanguinis æſtus temperetur, teſte Caldera ex ceraſis Hiſpanicis, pomis citri, granatorum, cinamomo, rad. liquiritiæ, ſemine fœniculi vel aniſi, aqua & ſaccharo parari. Vide CALDERAM *de Potionum varietate.*

IN-

INSTITUTIONUM MEDICINÆ LIBER QUINTUS. SIVE PARS THERAPEUTICA.

Caput Primum.

De Methodo Medendi.

§. 1.

Methodus medendi eſt ars invenien- di remedia, oſtendens ordinem toto curationis tempore obſervandum.

§. 2. Nititur hæc Methodus duobus fulcris, Ratione & Experientia, quibus ſyſtema Medicum

cum fulcitur. Cùm verò ad omnes circumſtantias non ſemper attendatur, ipſaque experientia fallax ſit, plus rationi quàm experientiæ fidendum eſſe cenſeo, modo illa ita utamur, ut poſthabitis præjudiciis nihil niſi quod jam evidentiſſimum, admittatur. Nec eſt profectò, ut aliorum obſervationes ſuperſtitioſè colamus, cum etiam viri doctiſſimi non raro ſibi blandiri & effectuum cauſas juxta præconceptam opinionem explicare ſoleant; quod verò multi nil niſi experientiam crepent, aliiſque in praxi feliciores habeantur, hoc non ſemper Eruditioni & doctrinæ, ſed aliis etiam artibus ex Machiavelli ſcholâ non raro deſumptis acceptum ferendum.

§. 3. Quid Medico autem faciendum ſit, hoc phœnomena oſtendunt, ipſi indicationes ſuppeditantia, quæ in præſervatoriam, Curatoriam, Symptomaticam & vitalem dividuntur, ſuntque tot ſcopi, quos Medicus, quantum poſſibile, aſſequi debet.

§. 4. Indicatio curatoria deſumitur à Morbô: Præſervatoria à cauſâ morbi: Symptomatica à ſymptomate urgentiori: Vitalis à viribus: quæ mera ſcholaſtica ſunt. In quolibet enim morbo ſanguinis cœterorumque liquorum ab eo dependentium potior habenda eſt ratio. Deinde ad partis præ cœteris magis afflictæ, & pro-

productum morboſum foventis, texturam & functionem reſpiciendum.

§. 5. Verùm enim verò, cùm in ſtatu præternaturali & morboſo ſæpiùs omnia ſint turbata, variæque apparentiæ ſibi invicem planè contrariæ obſervari ſoleant, mirum non eſt, ſi inter indicantia tanta quoque contrarietas deprehendatur, ut, quod unum facere jubeat, hoc alterum diſſuadeat; hinc indicantia prohibentia repugnantia & permutantia exſurgunt.

CAPUT SECUNDUM.

De Morborum Intemperiei Curatione.

§. 1.

Morbi intemperiei curari debent per alterantia. Sic acida intemperies indicat ſui correctionem per alkalica, Alcalica per acida, viſcida per attenuantia, acris per temperantia, calida per refrigerantia & ſic deinceps. Sed vide, ne quid nimis. Abhorret enim liquor animalis à frigidioribus ſtupefacientibus aliiſque exceſſivis remediis; hinc cautum eſt, ne ultra mediocritatem fiat alteratio. Idem eſto judicium de acidis potentioribus ceu inimiciſſimis ner-

nervino ſyſtemati. Oculi non bene ferunt remedia acria & fumoſa. In morbis pectoris cum frigidis & acidis non minùs cautè agendum. Cordi & ſanguini ſeu liquori vitali nocent potentiora volatilia, nocent quoque nimium incraſſantia intempeſtivè adhibita. Medio tutiſſimus ibis. Acida blandiora & ſalina temperata grata ſunt ventriculo & Pancreati. Hepati amara ſunt amica. Lienis ſolatium Mars & Acidulæ. Dulcia nullibi tuta ſolo pectore excepto.

§. 2. Morbi totius ſubſtantiæ dicti, quos L. 2. ad morbos Intemperiei retulimus, curantur per Alexipharmaca appropriata, quorum vis & operandi modus in ſaturando, abſorbendo, exagitando, præcipitando, ſudores movendo, calefaciendo, incraſſando & inviſcando conſiſtit. Quod ſi Medicus mature vocetur, vomitorium aliquod pingue vel etiam ſalino-ſulphureum locum habet, partim ut ipſum venenum foras eliminetur, partim ut ipſi nutrimentum præripiatur, cum aliàs contenta in ventriculo his in morbis ſtatim in liquamen tetridum abeant. In vulnere ab animali venenato inflicto cucurbitulæ, ferrum candens, cœpæ, fermentum, Theriaca, Spiritus vini camphoratus aliaque adhibentur, ut venenum evocetur, ipſique obex ponatur, ne profundius ſerpere poſſit.

CAPUT

Caput Tertium.

De Morborum Conformationis, Compoſitionis & Solutæ Unitatis Curatione.

§. I.

In Morbis conformationis pars deficiens reſtituenda; vel deformitas curâ palliativâ ſaltem corrigenda. Magnitudo aucta ſui indicat imminutionem per inediam, medicamenta diſcutientia & reſolventia, vel etiam abſumentia; qualia ſunt cauſtica tum actualia tum potentialia. Quod ſi figura partis alicujus vitiata ſit, hæc & ſui ad ſtatum naturalem indicat reductionem. Obſtructi meatus ſunt aperiendi; quod ſi p. n. ſint aperti, erunt claudendi per adſtringentia, denſantia, unientia & conſolidantia.

§. 2. Morbi in ſitu indicant partis in ſitu mutatæ repoſitionem: in mutata connexione ligamenta roboranda, ſin verò partes coaluerint, quæ ſejunctæ eſſe debebant, erunt ſolvendæ.

§. 3. Soluta unitas unitionem indicat; huic ut ſatisfacias, omne extraneum prius è vulnere eſt eximendum. Dein labia ſunt adducenda,

Sym-

Symptomata avertenda, aërisque acceſſus & ingreſſus impediendus.

§. 4. Huc ſpectant operationes Chirurgicæ. Syntheſis, quâ ſeparata conjunguntur. Διόρθωσις, quâ compreſſa & inducta corriguntur. Diæreſis, quâ, quæ continua ſunt, ſolvuntur. Exaireſis, qua ſuperflua eximuntur, & deficientia reſtituuntur.

Caput Quartum.

De Venæ Sectione.

§. 1.

Indicans præſervatorium eſt plethora & cacochymia: hæc purgationem, illa V. S. indicat.

§. 2. Venæ ſectionis uſus conſiſtit potiſſimum in ſanguinis imminutione, quam refrigeratio, revulſio & derivatio à tergo ſequuntur. Hinc ſecundum veteres datur Venæ Sectio evacuatoria, ventilatoria, revulſoria & derivatoria.

§. 3. Evacuatoria eſt, in qua ſanguis largius ad ℥xij. vel xv. emittitur. Ventilatoria, vulgò ein Luſtlaß / in qua ſanguis ad ℥iv. extrahitur, & ple-

& plerumque ex conſuetudine inſtituitur, quâ intermiſsâ, febres non rarò producuntur. Revulſoria, in qua ſanguis ad partem oppoſitam revellitur, quæ oppoſitio vel in longitudine eſt vel in latitudine, prout hoc in pleuritide frequentius obſervari ſolet. Derivatio fit ad partem vicinam. Sic v. g. in febre ardente inſtituitur V. S. evacuationis & ventilationis gratia in brachio, revulſionis causâ in pede, derivationis verò in linguâ vel in fronte.

§. 4. Rident hæc Neoterici, omneſque ſcopos ſola evacuatione vel imminutione ſanguinis adimpleri poſſe ſtatuunt. Cum enim revulſio imperium quoddam vel regimen præſupponat, derivatio autem ſanguinis circulationem impugnet, non video, quomodo hæc vulgi opinio ab erroribus & ſuperſtitione ſalvari poſſit.

§. 5. Eſt autem Venæ Sectio generoſum quoddam remedium, quod tempeſtivè adhibitum egregiè prodeſſe poteſt. Verum cum ſanguis ſit vitæ theſaurus, imò ipſa vita ſeu anima corporea, æquè facilè intempeſtive & imprudenter inſtituta noxam inferre poteſt. Hinc Medicus in ſanguine profundendo nequaquam prodigus eſſe debet, quin potiùs ſerio ſemper perpendat, utrum venæ ſectio indicetur nec ne, id quod non ſemper à calore fit, prout multi perſuaſum habent; facile enim fieri poteſt, ut alia

longè potentior adſit qualitas, cujus potior habenda ſit ratio quam caloris, qui ſaltem eſt productum, prout in Hecticis quotidie videre licet. Adeoque ad permittentia & prohibentia indicantia hic ſedulò erit attendendum, quæ à regione, anni tempore, Lunæ phaſi, ætate, vitæ genere, ſymptomatibus; aliiſque circumſtantiis deſumuntur. In regione calidiori, vere, lunâ creſcente, ætate florente, atque vita ſedentaria V. S. tutius inſtituitur.

§. 6. Dandum etiam ſemper aliquid conſuetudini; qui enim ſemel aſſuetus eſt venæ ſectioni, neceſſe habet eam quotannis adminiſtrare. Unde non penitus abſurdum eſt, Venæ Sectionem primâ vice inſtitutam magis prodeſſe poſſe, quam, ubi jam crebrius fuerit peracta. Hæmophobis plus nocere videtur quam prodeſſe. In gravidis, ſi vena ſit ſecanda, hæc in brachio tundi debet, quo remediô, mediô geſtationis tempore in uſum vocato, abortus præcavetur. Neque pueris hoc remedii genus denegandum, ſi neceſſitas id efflagitet. In decrepita etiam ætate V. S. feliciſſimè inſtitutam fuiſſe, docent *Ephemerides Medicorum Germanorum.*

§. 7. Arteriæ temporales tutò ab experto Chirurgo ſecari poſſunt, nec vidi præſtantius remedium in Hemicrania; quæ verò majores

ſunt,

ſunt, nunquam tundendæ, ne in præſentiſſimum vitæ periculum æger præcipitetur.

§. 8. Venarum delectum rejicimus ceu anile quoddam commentum. Non datur vena pulmonalis, hepatica, cardiaca &c. Deinde venæ non efferunt: ſed inferunt; Quod ſi Practicum aliter loqui audias, ſcias, hoc propter panem quotidianum fieri, & quod mundus velit decipi.

§. 9. Quæritur, utrum purgatio ſemper debeat præcedere Venæ Sectionem? Reſp. Vulgus id quidem perſuaſum habet, ſed ratio docet contrarium; ſi enim ſanguis jam à ſordibus ſuis eſt liberatus, cui bono quæſo emittitur? Et quis inficiabitur, ipſum catharticum faciliùs imminuta ſanguinis copia reliquos humores vitioſos ſecreturum & evacuaturum?

Caput Quintum.

De Repulſione.

§. 1.

Quando partium ſolidarum tubuli nimium dilatantur variique humores in partem aliquam irruunt & ulteriùs progredi neſciunt, ſæpius ordo jubet, ut ipſorum affluxus per medica-

menta repellentia, quæ nempe motum & conſequenter calorem temperent, & interſtitia nec non poros parùm coarctent, impediatur. Verùm notari velim, caute & prudenter his agendum eſſe, ne vel ventilatio prohibeatur, ſicque inflammatio, concentratis, ſicuti in fœno madido humoribus, augeatur, vel humorum in partem aliquam nobiliorem delapſus promoveatur. Ut itaque negotium hoc tutius confici poſſet, ſuaſor eſſem, eò tempore præmiſsâ V. S. blandiora exhibere diaphoretica, quibus gravius malum facile averti poterit. Eadem eſt ratio remediorum defendentium ſeu intercipientium, quæ à chirurgis non longè à parte affectâ, ad ſufflaminandum ſanguinis affluxum, ejuſque motum nimium corrigendum applicari ſolent.

CAPUT SEXTUM.

De Diſcuſſione, Emollitione & Suppuratione.

§. I.

Diſcuſſio eſt humorum reſolutio, ut ſub forma vaporum qua data porta effumare poſſint. Debet autem humor eſſe paucus tenuis & ad

ad evaporandum aptus. Quod ſi ob ſui craſſitiem vel etiam copiam diſcuti non poſſit, deveniendum eſt ad magis emolientia & tandem etiam ad ſuppurantia, ita tamen, ut humoris indolem prius bene perſpectam habeamus. Si enim ſalia prædominium obtineant, hæc profecto per ſuppurantia ita acui poſſunt, ut facto abſceſſu omnia deteriora reddantur, inque cancrum & malignam depaſcentemque exulcerationem abeant.

Caput Septimum.

De Cacochymiæ Curatione, & quidem per Vomitum.

§. I.

Cacochymia vitioſorum humorem evacuationem indicat, quæ vel per viam aliquam publicam & univerſalem inſtituenda, vel per privatam & particularem, unde ipſa pharmaca evacuantia in univerſalia & particularia dividuntur. Illa ſunt emetica, cathartica, ſudorifera, diuretica, & ſalivantia: Hæc ſternutatoria, errhina, apophlegmatiſantia, expectorantia &c.

§. 2. Cùm autem humores vitioſi nonſolùm in ſanguine ſua ludant dramata; verùm etiam ceu producta morboſa in viſcera coctionibus & ſecretionibus deſtinata deponantur, nonnunquam vero ipſo in ventriculo generentur, hæc evacuantia univerſalia nequaquam indiſcriminatim in uſum vocanda ſunt, ſed ſitus partium infarctarum, humoris conditionis, & ipſarum viarum habenda erit ratio. Si enim humores illi vitioſi in primis viis, hoc eſt in ventriculo ejuſque confiniis fuerint collecti, vix commodiorem reperire poteris viam, per quàm foras eliminari queant, quam, ſi ope emetici per gulam rejiciantur, unde operæ erit pretium, ut emetologiam paucis quoque tradamus.

§. 3. Eſt autem vomitus motus quidam convulſivus (vide WILLISII *ſpaſmologiam*) & ventriculi vicinarumque partium concuſſio, ut humorum inibi contentorum ſaburra elutrietur, & ex ventriculo, veſicula fellea, pancreate, aliiſque partibus vicinis expurgetur. Adeo ſumma divini Conditoris providentia cautum eſt, ut, docente ſic WILLISIO, pro certiore corporis humani, tanquam arcis cuſtodia, quoties hoſtis externus ingruet, aut inter proprias accolas ſeditio exorietur, illicò extra primos aditus ſc. ventriculi porticum hoſpites quicunque, tanquam perſonæ ſuſpectæ, rejiciantur.

§. 4.

§. 4. Quandoquidem verò cathartica in ſpecie ſic dicta humores hos vix tangant, ſed potius ſicco pede tranſeant, facile inde evinci poteſt, quam longis paraſangis Emetica alia præcellant pharmaca, quodque ipſorum ope morbi Herculei, qui aliorum remediorum vim & efficaciam eludunt, ſubigi poſſint.

§. 5. Neque enim humores tantum tenues & facilè mobiles educunt, ſed phlegma quoque viſcoſum & tunicis ventriculi firmiter impactum excutiunt, febriumque intermittentium fomitem profundius latentem feliciſſimè expugnant, imo plus ultra tendunt, neque effectus ſuos ſolum in primis viis exſerunt, ſed glandularum ope ex ipſa etiam maſſa ſanguinea degeneres evocant particulas, ut cacochymia totius, ſi non in totum, ſaltem in tantum per anacatharſin non minus tolli poſſit, quam ſi evacuatio per ſeceſſum inſtituatur.

§. 6. Verùm enim vero cum viſcera hac in operatione validè concutiantur, ipſæque fibræ immane quantum non raro convellantur, ut maxima in liquore animali excitetur turba, & ſpiritus animales in ἀταξίαν redacti graviſſima inducant ſymptomata, elogium Emeticorum cum grano ſalis accipiendum, ne temere, & non niſi omnibus circumſtantiis, [indicantibus

 juben-

jubentibus & permittentibus] æqua lance exploratis in uſum vocentur.

§. 7. Conveniunt autem in Cruditate Nidoroſa: hinc HIPPOCRATES: *Non febricitanti cibi faſtidium, oris ventriculi morſus, vertigo tenebricoſa & oris amaritudo purgatione per ſuperiora opus eſſe ſignificant.* Quod ſi phlegma viſcoſum fermenti gaſtrici activitatem obruat, vel cruditas acida, morborum chronicorum & Herculeorum mater, adſit, pari ſucceſſu dari poſſunt, modo cœtera conſentiant, & abſorbentia quædam & præparantia emetico aſſocientur. Sic enim cauſa occaſionalis tollitur, multique graviſſimi ſanguinis morbi mature averruncantur.

§. 8. E quibus nunc palam fit, convenire quoque Emetica in dolore capitis, apoplexia humorali, epilepſia, vertigine bilioſa, malo hypochondriaco, aſthmate ſtomachali, ſcorbuto, febribus intermittentibus aliiſque gravioribus affectibus, de quibus vide HOFFMANNI *medendi Methodum*, & DECKERI *Exercitationes*.

§. 9. Et quamvis oculorum morbi à plurimis omittantur, in quibus vomitoria plus nocere quam prodeſſe putant, teſtatur tamen Experientia, quod in ophthalmia felici cum effectu dari poſſint, quoties nempe fermentum quod-

dam

dam exoticum in primis latens viis ſanguinem inquinet, & ad ſeroſam ſecretionem vel præcipitationem alibi occaſionem ſuggerat.

§. 10. Obſervandum porro, quod illi, qui robuſtas nacti ſunt fibras nerveas, quibus os & ventriculus minori diſtant ſpatio, & viſcera firma ſunt, faciliùs Emeticorum ferant uſum, quam fœminæ & infantes, in quibus motus ſpaſmodici ſemel inchoati ſponte continuantur. Feliciori etiam ſucceſſu & minori cum periculo vernali dantur tempore, quam autumnali, ex eo, quod per hyemem variæ cruditates primis in viis collectæ & vires magis adhuc conſtantes ſint, ut magno cum emolumento humores vitioſi eo tempore per anacatharſin eliminari poſſint.

§. 11. Quod ſi ulceroſa viſcerum diſpoſitio adſit, ſi vel phthiſis vel hæmoptoe metuatur, ſtatura ſit gracilis & procera, viſcera ſint infirma, ſi cachexia vel tabida diatheſis, vel magna quædam inflammatio ſanguiniſque turbatio cruditatem concomitetur, merito ea exulare jubentur. In gravidis quoque, hernioſis, obeſis & plethoricis pari ratione excluduntur.

§. 12. Quod operandi modum attinet, ſtatuimus, eam in titillatione quâdam vel irritatione fibrillarum motricium conſiſtere. Quod enim pluma, qua ad vomitum ciendum non-

nunquam utimur, præſtat in faucibus, hoc præſtant emetica propriè ſic dicta in ventriculo, cujus fibras motrices à WILLISIO accurate depictas ita irritant, ut à fundo verſus orificium ſuperius contrahatur, ipſaque contenta magno cum impetu excutiantur.

§. 13. Cum vero ventriculus ſemper madeat, mirum non eſt, ſi tam facile tinctura Emetica ibidem conficiatur omnis generis humoribus eliminandis apta nata, neque convenientius videtur dari in rerum natura menſtruum, quod tam cito & adeo promptè emetica recludat & atomos irritativas imbibat, quam mador iſte in ventriculo contentus, pro cujus capacitatē ipſa operatio nunc fortior erit, nunc debilior, prout in Vini Emetici præparatione ſimile quíd obſervare licet.

§. 14. Dividuntur Emetica ratione operationis in mitiora, mediocria, & vehementiora. Ratione materiæ in vegetabilia, animalia, & mineralia. Uſitatiora tamen ſunt noſtro hoc ſeculo mineralia, & quidem illa, quæ ex antimonio parantur. Negligimus itaque ungues, aſarum, vitriolum vomitivum, ſal vitrioli aliaque, & pulverem Emeticum ZWÖLFFERI, Tartarum emeticum MYNSICHTI, Eſſentiam Emeticam, & Sirupum Emeticum à LUDOVICO correctum commendamus. Ad reliqua

vitrum

vitrum nempe antimonii, crocum metallorum, mercurium vitæ vel potiùs mortis nunquam deveniendum.

§. 12. Quæritur, quomodo vomitoria differant à purgantibus? WILLISIUS cenſet, illa ejuſmodi conſtare particulis, ut neque tam diu ab eo tolerari poſſint, donec fibris ſive villis ejus paulatim deterſæ una cum aliis ſuccis ſenſim & per partes à pyloro eliminentur, quin potius fibras ita vellicent, ut in ſpaſmos excretorios accingantur; hinc forte non abs re erit credere, quod Emetica non tam fermentando & turbando ſanguinem, quàm fibras motrices irritando operationes ſuas abſolvant.

CAPUT OCTAVUM.

De Lenientibus.

§. 1.

Si itaque humoris peccantis per ſeceſſum evacuatio a cacochymia indicetur, ejuſdem conditio, ſanguinis vero diſpoſitio, ſyſtematis nervini ſenſilitas, & morbi indoles probe conſideranda veniunt, ne, quod per vices agendum, hoc uno impetu effectui dari conemur. Natura equi-

equidem, ſi unquam, profecto hoc in negotio duci vult, non cogi; Et quis neſcit, plures dari morbos, in quibus ne cogitare quidem liceat de purgantibus proprie ſic dictis, quorum in locum lenientia, lubricantia & eccoprotica ſubſtituenda, quæ nempe humectando, fœces induratas diluendo, fibrarum tenſiones & ſpaſmos relaxando, lympham glutinoſam abſtergendo, & citra magnam exagitationem humores e primis viis ſubducendo, ſuos edant effectus?

§. 2. Lenitiva hæc egregium nobis in foro medico præſtant uſum, præſertim, ubi propter acidi exceſſivi copiam aliorumque humorum fermenteſcibilem qualitatem & effrœnem ſpirituum excandeſcentiam ipſa purgantia exulare jubentur, id quod in colica, paſſione Iliaca, febribus continuis, ſcorbuto, affectione hypochondriacâ (hyſterica vulgo dicta) cœteriſque morbis convulſivis, nec non in morbis puerperarum aliiſque morbis acutis contingere videmus, in quibus affectibus plus proficimus mitioribus remediis, quam vehementioribus.

§. 3. Vocantur autem lenitiva, quia ipſorum operandi modus non, ſicuti reliquorum purgantium, in fermentatione & ſanguinis turbatione, ſed in levi quadam motus periſtaltici preſſione una cum humectatione conſiſtit. E quibus uſitatiora

tiora ſunt infuſum roſarum, violarum, paſſularum; aqua laxativa: ſerum paſſulatum: paſſulæ laxativæ: Pruna laxativa. Malva, Beta, Atriplex, Althæa, Mercurialis, aſparagus, oleum olivarum, amygdalarum. Quo pertinent etiam clyſteres ex lacte & melle; Ex jure carnis & ſaccharo rubro: Ex decocto emolliente. Ex aqua & ſale. Ex fœcibus vini vel cercviſiæ, cum vel ſine ſapone.

CAPUT NONUM.

De Humorum Præparatione.

§. 1.

Aureum HIPPOCRATIS in omne ævum ſtat effatum, quod concoctis non crudis medicari debeamus; Conſiſtit autem cruditas illa vel in humorum tenuitate, vel in eorundem acrimonia ſalina, vel in aciditate & viſciditate, quæ poſtrema cruditas frequentius in praxi occurrit, multumque negotii Medicis faceſſit. Mos itaque obtinuit, ut Medici in ſuis Inſtitutionibus etiam de pituitam, bilem, melancholiam & atram bilem præparantibus prolixius agant.

§. 2.

§. 2. Quæ de viarum, quas tum humores tum medicamenta tranſire debent, reſeratione vulgo dicuntur, ea ſub acidi viſcidi correctione hîc comprehendimus, quæ utramque, quod dicitur, abſolvunt paginam. Etenim plurium præparantium vis conſiſtit in fermentationis ſubſecuturæ inchoatione, vel in acidi vitioſi correctione. Nihil profectò eſt, quod vires purgantium tantoperè obtundat, eorundemque vim catharticam enervet, quam acida, ſive caſtra ſua in primis viis, ſive ipſo in ſanguine locaverint; hinc opus eſt, ut obex iſte removeatur, & præparantibus ſive digerentibus via ad evacuandum magis expedita reddatur, quo non obſervato vel intermiſſo, ipſa cathartica vel ſtatim in ventriculo caſtrantur & effœta redduntur, vel nonniſi gravioribus cum inſultibus vim ſuam exſerunt, ſtupendaque producunt ſymptomata, ut ipſe Medicus manu non niſi tremula his in caſibus purgantia præſcribere poſſit.

§. 3. Parantur autem hæc medicamenta digeſtiva, quorum multa rectiùs abſorbentia vocantur, ex Tartaro, ſalibus tum fixis, tum volatilibus, quæ non ut ſtimulent, ſed ut acidum purgantibus adverſum corrigant, ipſis catharticis adduntur; quo ſpectant omnia teſtacea, terræ Martiales, ſpecificum ſtomachicum PO-TERII,

TERII, elixirium Romanum aliaque varia apud Practicos obvia.

§. 4. Sunt, qui unâ fideliâ duos dealbare ſatagunt parietes, præparantia cum purgantibus commiſcentes: hinc eſt, quod pilulis purgantibus gummoſa & olea ſtillatitia, pulveribus autem tartarum vitriolatum vel etiam arcanum duplicatum ſeu aliud ſal lixivioſum ſuperaddant, idque non ſine ſucceſſu, cum ſic uno medicamento & humor incidatur & ſimul etiam educatur.

§. 5. Utrum verò appropriata dentur præparantia humores, dubitari poteſt, cum tales humores ſæpiùs non præexiſtant in ſanguine; deinde operatio talis non tam præparantibus quam alterantibus perfici poſſit. Hinc optimè WILLISIUS notavit, quod longa illa ſeries, qua præparantia in Practicorum libris ex more ſolenni & quadam quaſi pompa proponuntur, ſpecioſa magis quam utilis ſit. Nihilominus, ſi conſuetam veterum ſervare velis methodum, pauca hæc ſufficere poterunt, ſi nempe ſcias, bilem præparare ſerum lactis tamarindinatum, vel ſuccis cichorii, acetoſellæ vel taraxaci alteratum, itidem Tincturas acidas temperatiores v. g. Spir. Nitri dulcificatum, Tinct. roſar. bellid. &c. Pituitam autem digerere omnia ex Tartaro parata, aromatica, oleoſa volatilia,

ſpir.

ſpir. ſal. armon. ſalſum, menthæ, zedoariæ, omniaque carminativa. Denique humorem melancholicum præparari ſero lactis antiſcorbutico, martialibus, cinnabarinis, ſalibuſque tam fixis quam volatilibus, nec non teſtaceis, de quibus etiam ſuperius dictum.

CAPUT DECIMUM.

De Purgatione & Purgantibus.

§. 1.

Purgantia propriè dicuntur, quæ ſanguinis compagem parum reſerant, ejuſque mixtionem tantillum ſolvunt, ut per ſuperadditum fermentationis gradum particulæ quædam heterogeneæ & variæ ſcoriæ ſanguinem inquinantes partim per vias manifeſtas; ductum nempe felleum & pancreaticum, partim per cœcas & occultas, glandulas nempe ſtomachicas & inteſtinales, de quibus Celeberrimorum Virorum HARDERI & PEIERI vide *Exercitationes Anatomicas*, è ſinu ſanguinis deturbentur, & per fiſtulam inteſtinalem, ceu communem corporis cloacam, forâs eliminentur.

§. 2. Operandi modus conſiſtit præter vim irri-

irritativam, qua pollent omnia cathartica, etiam in fermentatione ſanguinis, quæ, ſi parum intendatur, vel ab ipſo purgante plus debito vehementiori, vel, quod ſanguis ex ſe & ſua natura valde ſit fermenteſcibilis, facile febris producitur. Unde autem dependeant illæ qualitates, hoc determinare, videtur eſſe difficillimum. WILLISIUS quidem eas à particulis ſulphureo-ſalinis deducit, ſed non in omnibus ſatisfacit. Fateri tamen cogor, illas qualitates non eſſe a peculiari quadam vi attractrice, vel aliâ, neſcio quâ, & inexplicabili facultate, ſed totum negotium dependere puto a textura purgantium, quatenus acrioribus ſuis gladiolis vel cuſpidibus fibras irritant, peregrina materia ſubtili autem, quam ſanguini inferunt, fermentationem producunt, cum hujus nulla alia ratio unquam dari poſſit.

§. 3. Cum itaque purgantia ſanguinem perturbent in motu tum progreſſivo tum inteſtino, & ipſum ſuccum nutritium depravent, mirum eſt, quod multi nil niſi purgandum eſſe crepent, omniumque morborum curationes purgantibus aſſequi velint, quaſi vero recrementa illa pharmaci ope rejecta tali ſub forma præextiterint, & non potius producti nomen mereantur, ut ipſe HELMONTIUS non ſine ratione ſcripſerit, pharmaca cathartica non ſemper aut

ſolummodo humores in corpore prius exiſtentes educere, ſed potentia ſua corruptiva depravatos efficere. Exinde luce meridiana clarius fit, maximum committi purgantibus abuſum, ipſaque alterantia & magis neceſſaria, & plus etiam proficua eſſe, quibus morborum ſemina deſtruuntur, ut catharticis quandoque non opus habeamus.

§. 4. Enim vero prohibentia & permittentia prudenter conſideranda ſunt; itaque has obſerva cautelas. [1.] Ubi vires valde ſunt attritæ, nunquam purgandum, ne vitalis fermentatio penitus extinguatur. [2.] Ætatis habenda eſt ratio, quia infantibus nonniſi blandiora purgantia exhibenda ſunt, adeoque ab acrioribus ſemper abſtinendum, ne fluxu colliquativo, cui tenera hæc ætas obnoxia eſt, fores pandantur. [3.] Ipſius ſanguinis craſis probe indaganda, utrum nempe habeat compagem vel nimis laxam vel nimis ſtrictam: Vel utrum ſucco fermenteſcibili abundet: multi enim talem habent ſanguinem, in quo fermentatio ſemel cœpta vix iterum cohiberi poteſt. [4.] Dandum etiam aliquid conſuetudini; qui enim aſſueti ſunt purgari à pharmaco, faciliùs ferunt catharſin, in non aſſuetis autem negotium ſegnius, imo ſæpius maxima cum turbatione totius œconomiæ procedit. [5.] Morbi indoles exploranda; nam in acutis nun-

quam

quam purgandum, niſi in invaſionis momento forte quid movendum videris. Phthiſicos qui purgat, ipſorum animam expurgat. Inſenſiſſima quoque ſunt cathartica puerperis & gravidis. [6.] Ipſe etiam ſexus diſtinguendus; mulieres enim non æquè bene ferunt purgantia ſicuti viri, quia animi deliquio & motibus ſpaſmodicis jam tum obnoxiæ ſunt. [7.] Phaſes Lunæ quoque obſervandæ; feliciori ſucceſſu propinantur luna decreſcente quam luna creſcente. Denique [8.] Reſpiciendum ſemper ad anni tempora, quia vernali tempore cathartica majori cum commodo exhibentur, quam alio, præſertim ſi præſervationis gratia ſaltem uſurpentur.

§. 5. Dividuntur vulgo purgantia in cholagoga, phlegmagoga, melanagoga & hydragoga, quatenus huic vel illi humori evacuando magis appropriata ſunt. Quæ diviſio ſuis non caret difficultatibus ob rationes ſuperius allatas, cùm humores tales non ſemper præexiſtant, ſed pro varietate irritationis nunc in duodeno nunc in inteſtinis craſſioribus jam billioſa, ſæpius vero pituitoſa, egerantur. Nonnunquam etiam pro ſecretionis in maſſa ſanguinea varietate ipſa excreta nunc flaveſcunt, nunc atro colore tincta apparent. Verum enim vero, ſi ad animum revocemus, quod inter humores eva-

cuandos unus præ alio facilius catharticis auſcultet, videtur ſtatui adhuc poſſe dari elective purgantia, quatenus nempe ipſa purgantia materiam æthercam ſanguini vel etiam hepati & pancreati inferunt, plus minus aptam natam, ut humores ibi latentes exagitare & etiam elutriare poſſit. Sic rhabaibarum talem ſanguini infert materiam ſubtilem, quæ minùs libere bilioſum humorem tranſire poteſt, unde non poteſt non lucta quædam fieri iis in locis, in quibus bilis reſtagnat, quæ irritatione ſûâ glandulas ad ſui invitat excretionem. Faciunt huc verba WILLISII dicentis: *Quod autem interdum bilis, pituita, ſerum aut melancholia ſeorſim a reliquis ſecerni putatur, illud adeo fieri videtur, aut, quia medicamenta diverſa ratione in viſceribus irritant, aut variis modis cum ſaugniue aliiſque humoribus fermenteſcunt*, hoc eſt aliam atque aliam materiam ſubtilem inferunt.

§. 6. Optandum autem foret, ut pauciora poſſideremus purgantia, ne copia ipſorum anſam ſæpius præberet liberaliori manu ea porrigendi, cum pauca etiam tot hominibus purgandis ſufficerent, quod bene monet *Ludovici in ſua pharmacia*: ubi enim medicamentorum adeſt luxuria, ibi non raro delectus facit, ut, quid tanto in diſcrimine eligendum ſit, ipſi neſciamus.

§. 7.

§. 7. Recenſenda nunc ſunt purgantia ſuo ordine, initium faciendo a cholagogis, quæ ſunt ſequentia. MANNA. Datur vel per ſe abſque vehiculo, vel ſoluta in pulte, juſculo, decocto prunorum, vino, vel etiam aqua deſtillata: doſis à ℨij. ad ℥iij. Acuitur tartaro, & manna tartariſata appellatur, quæ ad ℥ij. cum vino exhibetur. Paratur etiam ex Manna ſuaviſſima potio, colore & odore grata, cum aqua, ſucco citri vel ſpiritu vitrioli Martis acidulata addito tartaro cremoriſato, cujus Inventor eſt MANNAGUETTA *Archiater Cæſareus*: In officinis proſtat Sirupus de Manna, qui ad ℥ij. dari poteſt. CASSIA. Hæc quotidiano olim fuit in uſu, præſertim in calculo & gonorrhœa; datur ad ℥j. in forma boli, quia ob tenacitatem vix in vehiculo ſolvi poteſt. ELECTUARIUM DE TAMARINDIS CUM FOLIIS SENNÆ. Doſ. ℨx. Convenit egregie in febribus tam continuis quam intermittentibus, ut & in affectione hypochondriaca, aliiſque morbis ex acido vitioſo oriundis, ubi opus eſt alvum lubricitare, & hac ſub formulâ exhiberi poteſt. Rec. Elect. de Tamarind. c. f. S. ℨx ſolv. c. ſ. q. ſer. lact. vel aq. cichor. adde crem. Tart. ℈ij. Sir. diaſ. Andern. ℨvj. f. potio. S. Laxir Tränckſein auff einmahl. SIRUPUS ROSARUM SOLUTIVUS. SIRUPUS FLO-

RUM PERSICORUM. SIRUPUS DE CICHORIO CUM RHEO. Dantur infantibus a ℥ij. ad ℥ß. Adultis ad ℥ij. vel ℥iij. SIRUPUS ROSAR. SOL. COMPOSITUS. Cujus doſis ʒvj. & ℥j. ELECTUARIUM E SUCCO ROSARUM. Hoc ſuperbit inter veterum cathartica. Datur ab ℥ß. ad ʒvj. Ridet Sylvius Medicorum metum, dum Scammonium vix ad aliquot grana exhibere audent, neſcii, quod in electuario è ſucco roſarum non rarò illud ad gr. xv. vel xx. ægrotantibus propinent. RHABARBARUM. Si in ſubſtantia exhibeatur, datur a ℈j. ad ʒj. In Infuſione ad ʒij ß. præſertim, ſi clave ſuâ reſeratur. Ingreditur ſpecies pro vino medicato, vel decocto aliquo laxativo ad ʒvj. Sanguis ſ. Tinctura RHABARBARI magni uſus eſt in hydrope, dyſenteria & hæmorrhoidum fluxu, datur ad ℥ij. ALOE. Exhibetur ob amaritudinem in forma pilulari a ℈ß. ad ℈j. uſque. Dicitur conſtare ex particulis hummoſis & reſinoſis, gummoſis purgat, reſinoſis irritat & vaſorum orificia aperit. In Acidularum uſu magnæ ſolet eſſe efficaciæ, quia phlegma viſcoſum ſeu blennam tunicis firmiter impactam ſcoparum inſtar abſtergit. Parat ex illa Eſſentiam ſuam amaram *Celeberrimus* CONERDINGIUS *Archiater Sereniſſ. Ducum & Principum Brunſwicenſium, Fau-*

Fautor meus, ob innumera in me collata beneficia mihi ad cineres venerandus, quâ & ego in acidulis Wildungenſibus & Dannigſteinenſibus magno cum ægrotantium emolumento utor. Cætera, quæ ex Aloë parantur: v. g. Electuarium hieræ & alia nunc rarioris ſunt uſus, & apud delicatiores non amplius ore digna habentur. EXTRACTUM DIACITR. Doſis ℈iv. SCAMMONIUM. Quod correctum diagrydium vel rectiùs dacrydium vocatur; datur autem ad gr. viij. vel in forma pulveris, vel ſolutum in aqua deſtillata ad mentem *Sylvii*. Sæpe tria vel quatuor grana Tartariſatæ Jalapæ admixta plus præſtant, quam ſi neſcio quo apparatu correctum exhibeatur.

§.8. Phlegmagoga ſunt; AGARICUS. Qui nunquam in ſubſtantia, in Infuſis autem ad ℥ß. propinatur; MECHOACANNA. Quæ in forma pulveris ad ʒj. vel ʒiß. in vino medicato vel decocto ℥ß, in morſulis ad ʒiß. præſcribitur, GUMMI AMMONIACUM. Ingreditur pilulas antiſcorbuticas & hypochondriacas vulgo ſpleneticas dictas, quia glutinoſam blennam abſtergit, & aliquot granis dacrydii vel extract. trochiſcor. Alhandal. armatum humores craſſos feliciſſime evacuat; datur autem commodius in forma pilulari ad ℈j. TURBITH. Doſis ad ℈ij. in ſubſtantiâ, in decocto

 vel

vel vino cathartico ad ʒiij. Extractum ejus ad ℈j. dari poteſt. SEMEN CARTHAMI. Ingreditur decocta & ſpecies pro vino laxativo; doſis, ℥j. ad ℥iß. Ejus Extractum, quod diacarthami vel cnicopharmaci Extractum vocatur, datur ad ℈iv. in aqua deſtillata ſolutum, TROCHISCI ALHANDALI. Hi ſoli rarius exhibentur, ſed ſaltem aliis mitioribus purgantibus, ad grana ij. vel iij. pro ſtimulo adduntur.

§. 9. Melanagoga ſive humorem melancholicum purgantia ſunt FOLIA SENNÆ, quæ cum tartaro in vehiculo calido per noctem infuſa plus præſtant ʒij. quam ℥ß. longa coctione vexata. Eorundem Tinctura cum oleo vel ſale Tartari parata ad ℥iij. vel iv. data alvum blande movet, HELLEBORUS NIGER. Comitatur alia purgantia in vino medicato vel decocto laxativo, & ad ʒij. præſcribitur. Ejus extractum ad ℈j. exhibetur. CONFECTIO HAMECH. Celebre apud veteres catharcticum, cujus ℥ß. ſatis potenter alvum turbare ſolet.

§. 10. Hydragoga tandem ſunt; SIRUPUS DE SPINA INFECTORIA. Doſis ʒx. JALAPA, quæ in ſubſtantia ad ℈ij. datur. Magiſterium Jalapæ & reſina ejus ad gr. xij. exhibentur, GUMMI GOTTE. Hoc robuſtioribus ſaltem dicatum eſſe videtur. Præpararat inde ſuum familiare catharticum Lotichius.

tichius, ELECTUARIUM HYDRAGOGUM SYLVII. Hujus doſis eſt ℥ß. PULVIS SOLUTIVUS TARTARISATUS. Datur ad ℈ij. HERMODACTILUS. Doſis ℈j. ad ℈ij.

§. 11. Pertinent huc Panchymagoga vulgo dicta, EXTRACTUM PANCHYMAGOGUM CROLLII, quod à ℈j. ad ʒß. in forma pilulari exhibetur. Eadem fere doſi & reliquarum pilularum maſſa præſcribitur, v. g. mp. Tartar. Querçetan. Melanagogog. Ejuſdem. Hier. picr. c. agarico. De Succino Cratonis. Extractum cephalicum Mynſichti. Melanagogum Ejuſdem: Aurearum, Cochiar. PILULÆ DE GALBANO SYLVII ad ʒj. uſque tuto exhiberi poſſunt: Plura vide in diſpenſatoriis.

Caput Undecimum.

De Evacuatione per Urinam.

§. 1.

Cacochymiæ curatio perfici etiam poteſt evacuatione per urinam, quatenus ope remediorum diureticorum partes ſanguinis aquo-

ſæ, acidæ, ſalinæ aliæque feculentiæ è ſanguine evocantur, & per vias urinarias educuntur.

§. 2. Hæc ſanguinis depuratio locum ſibi vendicat ubi tartareæ ſalinæque particulæ in corpore abundant: vel colluvies ſeroſa hinc inde in viſceribus ſive etiam in inſigni aliqua corporis cavitate deliteſcit.

§. 3. Debent autem præmitti purgantia & digeſtiva, quo primæ viæ obſtructique tubuli prius a viſcidis & glutinoſis humoribus liberentur; hoc enim non attento facile renes ab illuvie illa obruuntur, & viſcerum obſtructiones magis magiſque augentur.

§. 4. Deinde & hoc monendum venit, quod diuretica jejuno ventriculo exhiberi debeant, ne ipſam chylificationem & ſucci alibilis ſecretionem impediamus.

§. 5. Addo etiam hoc; quod in tertiana ſcorbutica, in peſte, ut & in variolis & morbillis diuretica vel caute ſint propinanda, vel penitus fugienda, ne in his ad mictionem cruentam, iu illis vero ad diabetem & colliquationem totius viam ſternamus.

§. 6. Modum operandi graviter delineavit CELEBERRIMUS WEDELIUS *L. de Medicamentorum Facultatibus p. m.* 186. quem vide. Equidem hic operandi modus non unus idem-

idemque eſt; quædam enim referuntur inter diuretica, quia acidum, ſanguinem inſpiſſans abſorbent: Quædam, quod vi aperiendi polleant, & renum tubulos infarctos pertundant; Alia lympham craſſam incidunt & ſerum fluxile reddunt; Alia ſecretionem chyli ab alvinis fœcibus promovent; Quædam ſanguinem fundendo & præcipitando urinam movent. Tandem ſunt quædam diuretica, quatenus ſerum ſubſtantialiter augent.

§. 7. Diuretica Lienoſis cenſentur eſſe valde proficua; Non, quod Lien ſe per vias urinarias exonerare poſſit, ſed quia primario ſanguinis intemperiem viſcidam & fœculentam corrigunt, & conſequenter partes etiam ſolidas ab infarctu liberant.

Caput Duodecimum.

De Evacuatione per Sudorem.

§. 1.

Sudorifera in eo differunt a diureticis quod hæc ſanguinem magis fundant, illa vero eum ſaltem exagitent, motumque particularum minimarum ſanguinem conſtituentium ita auge-

augeant, ut magna humorum pars ſub vaporum forma glandulas miliares ſubcutaneas ingrediatur, & ex his per undique perforatam cutem tranſudet & ſudares conſtituat. Hinc omnes, qui ſanguinem habent tenuiorem & valde mobilem, quique poros valde patulos nacti ſunt, facile a motu concitatiori in largiſſimos abeunt ſudores.

§. 2. Exinde abunde ſatis apparet, quod & hic non minor habenda ſit virium ratio, quoniam ſanguinis exagitatio fieri vix poteſt, ut non inſimul ſpirituoſæ ejus partes avolent & tenues abeant in auras. Vide itaque, ut prudenter agas & finem reſpice; præſertim illis in ſubjectis, ubi vires ob anteactos labores jam attritæ ſunt. Vel ubi citra animi deliquium humorum commotiones non feruntur, ſive etiam ubi jam ſponte humores verſus ſuperficiem ruunt, prout in puerperis, variolis & hectica laborantibus obſervatur. Ut autem tutius agamus, imitari poſſumus *Cl. Sylvium*, qui ſudorifera ſua cochleatim per intervalla exhibuit, uſque dum cutis madere cœpit, quo viſo corpus cooperire & tegumeutis munire juſſit.

§. 3. Sudorifera magnæ ſunt efficaciæ in febribus tam continuis quam intermittentibus, quia turbatam ſanguinis miſtionem potenter reſtituunt. In Malignis omne ferunt punctum; quo

quo enim citius exhibentur, eo faciliùs venenum peſſundatur & foras eliminatur.

§. 4. Cavendum autem ſedulo, ne 1. fluentibus adhuc vel etiam abſterſis ſudoribus aër frigidus per poros valde adhuc patulos admittatur. 2. Ne præpoſtero ipſorum uſu ſanguinis compages nimium laxetur, hinc operæ pretium erit, acida blandiora ſubinde inter ſudandum exhibere. 3. Ne ægrotantem cogamus ad ſudandum, ſi corporis textura & ſanguinis diſpoſitio non reſpondeant; nam ſudor nimis coactus minus prodeſt, & quod ſæpius non præſtat ſudor, id præſtat tenuis udor. Errant itaque illi, qui in febribus ardentibus promiſcue ſudorifera propinant nulla etiam habita ratione conſtitutionis tum ſanguinis tum corporis, cum faciliùs ſit è pumice aquam poſtulare, quam ex nonnullis ægrotantibus ſudores elicere.

§. 5. Quæritur, an inter ſudandum largior potus concedi poſſit? Affirmativam tuemur. Sicuti enim illi majori cum euphoria & minori moleſtia vomunt, quibus ventriculus repletus eſt, ita felicius & facilius ſudant hi, quibus vaſa ſero turgent, atque ſufficiens vehiculum ſalinis & tartareis ſcoriis ſuggeritur. In paroxyſmi febrilis declinatione ſudores largius fluunt, ſi potum liberalius concedamus.

§. 6. Agendi modum in ſanguinis exagita-
tione

tione ponimus, præſertim in diaphoreticis & ſudoriferis temperatioribus. Neque tamen inficias eo, vehementiora ſudorifera ſanguinem ſimul fundere, & diureſin introducere, quod ipſa Experientia confirmat.

§. 7. Poſſunt autem omnia ſudorifera ad has referri claſſes: Vel enim ſunt terrea & alcalina fixiora: vel ſalia volatilia: vel Amara ſale volatili ſulphuri maritato prædita; vel Acida ſulphure exaltata: vel Aquoſa ſpirituoſis particulis actuata. Plura vide *apud Cl. WEDELIUM.*

Caput Decimum Tertium.

De Particularibus Evacuationibus.

§. 1.

Sunt hæc 1. Apophlegmatiſantia. Quæ palati poros aperiunt, ſale volatili acri glandulas ſalivales irritant, & inſimul lympham incidunt & fundunt. 2. Errhina & ſternutatoria, quæ internam narium tunicam ſua acrimonia & volatilitate concutiunt. Nocent hæc epilepticis, vertiginoſis, hernioſis & phthiſicis. 3. Expectorantia, quæ vi emolliendi & virtute aromatica

matica pituitam diluunt, incidunt & attenuant, atque fibras pneumonicas blande ad excretionem invitant.

Caput Decimum Quartum.

De Indicatione Symptomatis Urgentis.

§. 1.

Vocantur urgentia ſymptomata, quæ citra totius œconomiæ everſionem diu ferri nequeunt, ſuntque dolor, vigiliæ, ſitis alvi fluxus, hæmorrhagia, vomitus & lipothymia.

§. 2. Hæc non raro interrumpunt medendi ordinem, & medicum cogunt primarium deſerere morbum, & curam ad urgentiora hæc mala dirigere.

§. 3. Dolor duo dicit, fibrarum diſtortionem vel corrugationem, & triſtem mentis ſtatum. Ratione hujus conveniunt illa, quæ animam ad alias invitant cogitationes, quo minus inconditis his motibus corporis ſui auſcultet; huc muſicam, amicorum colloquia, & meditationes profundiores referimus. Illam tollunt medicamenta

nimiam

nimiam tenſionem relaxantia, temperata emollientia, lubrica, pinguia, & acrimoniam humorum demulcentia, vel ipſos etiam ſpiritus animales ſopientia.

§. 4. Quoniam in vigiliarum ſtatu irrequieti ſpiritus brevi atteruntur, non minus neceſſe eſt, ut mature ſuccurratur. Conveniunt hic iterum antea laudata anodyna, & quæ blandiores moleculas ſanguini inferunt, q. ſ. Balnea dulcia, medulla crurum vituli, medulla cervina, & tandem, quæ ſtuporem inducunt, q. ſ. hypnotica & narcotica, quo papaverina, opiata, & theriacalia recentia referimus.

§. 5. Si ſitis ex vaſorum ſalivalium obſtructione oriatur, volatilia & aperientia plus in fallenda ſiti præſtant, quam vulgaria illa refrigerantia, quæ potius obſtructionem augent, hinc quo plus potantur, plus ſitiuntur aquæ. Sin vero ſitis ob particularum aquoſarum defectum intendatur, aquoſa & blandiora acida exſpectationi ſatisfaciunt.

§. 6. Alvi fluxus & vomitus [ſymptomata quorum principiis ſæpius obſtandum, præprimis ubi videmus vires citra cauſam aliam valde collabi] ſiſti poſſunt. Si 1. Materia irritans blande ſubducatur cum Rhabarbaro. 2. Acre vellicans abſorbeatur vel corrigatur, quod alcalica terrea, acida blandiora, & opiata præſtant.

Quod

Quod ſi febris acuta morbus ſit primarius, tutius eſt exquiſitis alexipharmacis arduum hoc negotium aggredi, quam perperam adhibitis adſtringentibus & opiatis humores malignos concentrare.

§. 7. Sanguinis fluxus nimius mature quoque cohibendus, ne cum vitæ theſauro ipſa pereat vita. Itaque in uſum vocanda ſunt quæ efferum ſanguinis motum ſiſtunt ejuſque nimiam fluxilitatem corrigunt, & vaſa reſerata occludunt. Omnibus hic palmam eripit famoſus ille liquor ſtypticus, non ex vitriolo, quod falſo quidam perſuaſum habent, ſed ex terra martiali aqua magnetica impprægnata paratus. Lipothymia per graveolentia & urinoſa facile tollitur.

Caput Decimum Quintum.

De Indicatione Vitali.

§. 1.

Indicationi vitali ſatisfaciunt medicamenta cardiaca & cephalica, ut & alimenta facilis digeſtionis & multæ nutritionis cum reliquarum rerum non naturalium legitima admini-

ſtratione, de quibus cum jam L. 4. dictum, nolo hic cramben bis coctam apponere.

Caput Decimum Sextum.

De Medicamentorum Facultatibus.

§. 1.

Medicamentum dicitur quod corpus noſtrum alterat; hoc eſt, quod tum ſanguinem & ſuccos ab illo dependentes, tum ipſas etiam partes ſolidas in craſi & debita ſua textura conſervare, vel ſi deflexerint, ad priſtinam indolem reducere aptum natum eſt. Alimentum nutrit. Venenum deſtruit & corrumpit. *Alimenta*, inquit *Cl.* WEDELIUS, *a corpore noſtro concoquuntur & aſſimilantur, medicamenta actuantur & ſuperantur, venena vero plane adverſa ſunt & corpus ſuperant.*

§. 2. Quæritur, an aquæ reſtaurantes & clyſteres nutrientes inter alimenta medicamentoſa, quæ & alterent & nutriant, referri poſſint? Reſp. Quia aquæ antihecticæ temporis tractu rancidæ evadunt, perſuaſum habeo illas de mucilagine & gelatina ſulphurea participare. Neque etiam inficior liquorem nutritium pro clyſtere injectum ſeſe

ſeſe facile per vicinos inteſtinalium vaſorum poros in maſſam ſanguineam inſinuare poſſe, e quibus evidentiſſime patet, utraque hæc medicamenta nutrire, & balſamicarum particularum defectum ſupplere.

§. 3. Deſumuntur medicamenta e regno vegetabili, quo corallia, e regno animali, quo ſperma ceti, & e regno minerali, quo ambram & ſuccinum referimus.

§. 4. Et, quoniam ob diverſos effectus, quos edunt in ſanguine cœteriſque corporis noſtri partibus, ipſis merito diverſæ tribuuntur facultates, operæ pretium erit, in diverſarum iſtarum qualitatum principium curioſius inquirere. Neque enim formam quandam ſubſtantialem æque nobis ignotam hic admittimus, quæ forte harum facultatum mater ſit & promus condus, ſed principium quoddam valde ſimplex & valde evidens quærimus. Cum autem per ſolam texturam aliorum corporum facultates explicare audeamus, & in ipſis medicamentis nihil reale præter ſuperficiem reperiamus, non opus eſſe puto, ut, ad neſcio quod recurramus idolum, quin potius pro principio facultatum cujuſque medicamenti texturam & configurationem, ob quam tali vel tali modo movetur, & nunc hujus nunc illius generis materiam ætheream infert, ſupponimus.

§. 5. Ubi notari velim 1. medicamentorum qualitates denominari a certis quibuſdam motibus, quos in nobis producunt, quales ſunt calida, frigida, acida, &c. 2. Non bene dividi illas qualitates in manifeſtas & occultas, quia hæc diviſio Medico Philoſopho indigna videtur, cui nihil adeo occultum eſſe debet, quod non ex principiis ſuis explicare poſſit. Neque objici debet veneni peſtilentialis inacceſſa natura, cum & hæc noſtro tempore per ſal acre volatile, ſive per particulas rigidas & valde acuminatas deſcribatur, ipſa quoque alexipharmaca non amplius occulta, ſed manifeſta qualitate venenum iſtud peſtilentiale coërceant, prout cap. 2. de morborum intemperiei curatione oſtendimus.

§. 6. Medicamenta calida ſunt, quæ talem habent texturam, ut ſanguini cœteriſque humoribus confuſa, magnam materiæ æthereæ copiam inferant, & motum tremulum fibrillarum nervearum, quo alias in ſtatu naturali a præterfluentibus humoribus circulantibus cientur, nova illa exagitatione augeant, in quo ſolo vera inſoliti caloris in nobis producti conſiſtit cauſa. Econtra, ſi motus iſte tremulus impediatur, oritur ſtatim ſenſus frigoris, adeoque hæc omnia erunt frigida, quæ tales ſanguinem faciunt acquirere poros, ut parcior materia

ria ſubtilis illum permeet, eumque minus exagitet.

§. 7. Humida ſunt, quæ ſanguini plures particulas aquoſas & flexiles inferunt. Sicca, quæ poros obſtruunt, & aquoſas moleculas diſſipant & expellunt.

§. 8. Hæ qualitates vulgo primæ vocantur, ſed male; quia aliæ potentiores tum in cauſis morbificis, tum in ipſis medicamentis reperiuntur. Deinde, quæ de quatuor gradibus & de cujuslibet gradus quatuor manſionibus hic dici ſolent, infirmo quoque ſtant talo; quod enim huic eſt calidum in primi gradus prima manſione, hoc alteri ob aliam organi tactus diſpoſitionem poterit eſſe calidum in ſecundi gradus tertia manſione.

§. 9. Emollientia ſunt, quæ fibras tenſas & rigidas relaxant, fovent, & molliores reddunt, ſuoque blandiore calore humores craſſos citra magnam luctam pedetentim incidunt.

§. 10. Adſtringentia humores concentrant, poros coarctant & fibras conſtringunt: hinc terreſtris ſunt ſubſtantiæ & craſſioris texturæ, ſuntque vel acida, vel auſtera, vel emplaſtica, vel balſamica. Dubitatur de aquis, utrum dentur aquæ deſtillatæ v. g. plantaginis &c. vi adſtringendi præditæ: obſtare videtur tenuitas partium, niſi forte dicere velimus, quod ad-

ſtringant, quatenus ſanguinem cœteroſque ſuccos refrigerant.

§. 11. Huc etiam referuntur incraſſantia, quæ in eo tamen differunt ab aſtringentibus, quod non tam in fibras & poros, quam in ipſos humores agant, quos amplexu fovent, & intervalla ipſorum ita replent, ut propius ad ſe invicem accedant.

§. 12. Aperientia incidentia & attenuantia ſunt vel ex alcalinorum & aromaticorum proſapia; vel ex blandiorum acidorum prodeunt familia. Componuntur a corpuſculis ad occurſum aliorum corporum flecti neſciis, ut ſc. eo alacrius humores craſſos incidant & obſtructos tubulos reſerent. Sub his ipſa quoque abſorbentia comprehendimus, quæ ſalia ſylveſtria intra cavernulas recipiunt, & obſtructionis cauſam abſorbendo viam expeditam reddunt, quod præ cœteris teſtacea & martialia faciunt.

§. 13. Attrahentia (ſit venia verbo) tenuitate partium agunt, ſale acri volatili poros dilatant, humores fundunt, fibras concutiunt, ut ad ipſarum interſtitia humores potius tendant, quam aliorſum. Ab his gradu intenſiori veſicantia, pſilotra & cauſtica differunt, quatenus majori acrimonia & volatilitate gaudent, & igneæ naturæ eſſe videntur.

§. 14.

§. 14. Medicamenta vulneraria ſunt, quæ 1. emplaſtica vi poros parum occludunt, & conſequenter motum inteſtinum humoris coquendi augent, & ad ſuppurationem diſponunt, unde etiam ſuppurantia vocantur. 2. Quæ ſordes ulcerum abſtergunt, & acidum vulnerum depaſcens abſorbent, quod digeſtiva & detergentia præſtant. 3. Quæ poros deſtructos reſtituunt, & fibras diſtortas reponunt, ut ſuccus nutricius priſtino & conſueto ordine partem ſauciatam ingredi poſſit, quod potionum vulnerariarum & medicamentorum teſtaceorum munus eſt. 4. Quæ valde exſiccant & ſuccum nutriticum concentrant, hinc epulotica ſeu cicatrizantia vulgo vocantur.

§. 15. Ambuſtis ſuccurrunt, 1. quæ ſpicula ignea a parte affecta evocant, qualia ſunt camphora, cepæ aliaque calidiora. 2. Quæ oleoſitate & mucilagine cuſpides oblinunt & obtundunt. 3. Quæ ea ſimul abſorbent, ut ſaccharum Saturni, cremor calcis &c.

Caput Decimum Septimum.

De Medicamentis ipſis Partibus dicatis.

§. 1.

Hic intricata incidit quæſtio, an medicamenta magis huic, quam illi viſceri dicata ſint: hoc eſt, an dentur medicamenta cephalica, ophthalmica, otica, thoracica, cardiaca, ſtomachica, hepatica, ſplenetica, nephritica, hyſterica, arthritica? Reſp. negative; & repetenda hic quæ L. 3. de partium ſolidarum temperamentis dicta fuere; nempe quod viſcera ad munia illa obeunda, quibus fungi vulgo dicuntur, ex ſe & ſua natura nil niſi texturam & mechanicam ſtructuram conferant. Neque enim gaudent peculiari quodam inſito calore, ſed omnem calorem, ſi quem habent, habent a ſanguine, ita ut v. g. calor ventriculi vel hepatis ſanguini primario inſit, viſceribus autem ſecundario. Quo ipſo peſſundatur diviſionis iſtius fundamentum, vi cujus quædam medicamenta ſtomachica, quædam hepatica, & ſic porro vocantur, quaſi ſc. illa calori nativo hujus vel illius viſceris magis conveniant, quam aliud,

aliud, cum calor ille viſcerum imaginarius ſit & merum non ens. Deinde infringitur etiam vis illa medicamentorum appropriata, ſi attendamus, omnia medicamenta reſoluta in ventriculo tandem cum ſanguine promiſcue deferri ad omnes totius corporis partes, utpote qui æqualiter diſpenſatur, habita ſaltem ratione partium ſuperiorum & inferiorum. Hinc nulla dari poteſt ratio, quare v. g. Aqua ſplenetica vulgo dicta tendat ad lienem, cephalica vero caput petat. Si enim dicas fieri id propter vim appropriatam, nihil adhuc dicis. Sin vero ulterius progrediaris & ſtatuas, fieri hoc ob innatum quendam appetitum & facultatem, tum certe ipſis medicamentis aliqualem affingis cognitionem, ipſiſque neſcio quam electivam facultatem tribuis, quod æque abſurdum eſt. Tandem pro tertio hoc etiam addo, quod hactenus nunquam a Peripateticis oſtendi potuerit, quomodo unum idemque medicamentum gradum illum caloris quo calido innato hujus vel illius partis magis amicum vel inimicum eſt, in longiori illo itinere, dum totam peragrat œconomiam ſartum tectumque ſervare eumque tunc demum explicare queat, ubi ad partem illam, cui ſuppetias ferre debet, deventum eſt.

§. 2. Quod ſi contendas, quædam medica-

menta huic parti plus prodeſſe quam alii, obſervari velim, fieri hoc 1. ob explicabilem quandam ſimilitudinem pororum, quæ tum in medicamento, tum in parte, cui id appropriatum eſt, reperitur, ut cujus poros obſtructos reſerant, coarctatos dilatant, & nimis patulos modice conſtringunt. 2. Quia congenerem inferunt materiam æthercam, ſimilem illi, quæ partem amicam permeare ſolita eſt; hinc eo verſus potius movetur idem medicamentum, ubi minorem reperit reſiſtentiam. 3. Quia medicamenta omnem fere vim exuunt in primis viis, &, cum plurium morborum radix ſit in ventriculo, nidus vero in ſanguine, ut in febribus, ſcorbuto, aliiſque innumeris videre eſt, mirum non eſt, ſi his in morbis ipſa medicamenta lieni aliiſque partibus magis dicata eſſe, vulgus perſuaſum habeat, utpore quod inter cauſam & productum morboſum diſtinguere neſcit, neque ſemper animadvertit, quod ſublata cauſa fovente, facile etiam ipſe tollatur effectus. Unde forte veritati magis conſonum erit, ſi ſtatuamus, appropriatem illam medicamentorum vim in eo conſiſtere 1. Quod acidum vitioſum per aromatica & ſalina alcalica corrigatur 2. Quod vitale fermentum per blandiora acida & ſalia fluorem adepta reſtauretur vel conſervetur. 3. Quod ſanguinis intemperies qualiſcunque illa ſit per

con-

contraria corrigatur, dum ſc. ejus ſufflaminata rarefactio redditur per aërea ſulphurea expanſa, urinoſa & ſpirituoſa. Nimia vero ejus effrenis ebullitio temperatur per teſtacea præcipitantia nitroſa & acida. 4. Si liquores tum vitalis, tum animalis per nervina & balſamica excitentur, tonus partium labefactatus modice adſtringentibus reſtituatur, parteſque ſolidæ ab obſtructionibus liberentur.

Caput Decimum Octavum.

De Reliquis Medicamentorum Facultatibus.

§. 1.

Lumbricos necant 1. amara, quæ ramoſis ſuis extremitatibus teneram vermium compagem deſtruunt. 2. Acida quæ fibrarum plexum diſcindunt. 3. Teſtacea quæ interſtitia & poros obſtruunt, quo minus ſuccus alimentarius circulari poſſit, quo etiam Mercurium referimus, qui lubricis ſuis ſphærulis abdita penetrat interſtitia motumque periſtalticum evertit.

§. 2.

§. 2. Calculum frangunt volatiliſantia, blandiora acida, mucilaginoſa, & omnia, quæ auſteros humores corrigere apta nata ſunt, qualia ſunt medicamenta ex ſale armoniaco, ſuccino, ſalibus fixis aliiſque innumeris parata.

§. 2. Quæ menſes movent, fœtum & ſecundinas expellunt, & lochiorum fluxum promovent, ſunt 1. nervina, qualia ſunt cinnabarina & ſuccinata. 2. Quæ ſanguini novum ſuperaddunt motum, q. ſ. ſpirituoſa & urinoſa. 3. Quæ ſanguinis fœculentam intemperiem corrigunt, q. ſ. ſalia tum fixa tum volatilia ut & amara ſulphuri volatili maritata.

§. 3. Lac augentia dicuntur, quæ tubulos lactiferos in mammis reſerant & dilatant, quæque ipſi ſanguini butyroſas moleculas inferunt; vel etiam acidum ſanguinem nimium inſpiſſans abſorbent. Idem agendi modus etiam eſt medicamentis quæ ſemen augent. Quæ vero lac imminuunt, faciunt id quatenus ſunt vel acida ſanguinem incraſſantia vel amara terreſtria, poros & tubulos mammarum coarctantia vel valde ſubtilia & in perniciſſimo motu poſita. Hæc enim, ſpirituoſas ſanguinis partes ſecum in aëra rapiendo obſtructiones pariunt.

§. 4. Anodyna ſunt 1. quæ acrimoniam humorum fibras nerveas vellicantium demulcent & ſpaſ-

& ſpaſmodicas corrugationes tollunt. 2. Quæ ſpiritus animales parum figunt & hypnotica dicuntur. 3. Quæ plexum choroides obſtruunt, ſpirituum animalium generationem impediunt, & intempeſtive adhibita non raro ipſorum ordinem deſtruunt, unde narcotica & ſtupefactiva dicuntur. Uſitatiora ſunt Theriaca recens, Diaſcordium; Requies Nicolai, Tryphera perſica. Theriaca cœleſtis. Eſſentia anodyna. Tinctura opii. Laudanum opiatum. Anodynum Angeli Salæ. Arcanum duplicatum, omniaque papaverina & Cinnabarina.

§. 5. Quod autem in ſpecie materiam medicam attinet, nolo hic repetere, quæ apud alios reperiuntur, cum jam tot proſtent de materia medica tractatus, ut vix omnes evolvi poſſint. Vide interim Sennertum, Riverium, Macaſium, Schonbornium, Regium, Tilemannum, Blaſium, Ammanum, Margrafium, Gieſweinium alioſque plures.

CAPUT

Caput Decimum Nonum.

De Medicamentorum Compoſitione & Diſtributione.

§. 1.

Medicamentorum compoſitio ſeſe commendat ſua neceſſitate & utilitate, demit ſuperflua & deficientia perficit, ut pluribus indicationibus ſatisfacere, unaque fidelia duos dealbare poſſimus parietes. Corrigit ingratum ſaporem & odorem, peregrinam qualitatem ſubjugat, & ipſum medicamentum a corruptione præſervat.

§. 2. Ponitur autem pro fundamento in quolibet compoſito baſis, quæ tum quantitate tum qualitate reliquis præpollet. Sin vero nimis remiſſa ſit, additur ſtimulus, quo baſis eo facilius virtutem ſuam explicet, totumque medicamentum eo alacrius effectus ſuos exſerat. Adduntur autem etiam alia ingredientia, ut inde compoſitum juſtam acquirat conſiſtentiam & ſuavem nanciſcatur & colorem & odorem. Quæ veteres de directore vel directione habent, riſum merentur, cum tale quid in foro medico nuſpiam reperiatur.

§. 3.

§. 3. Cogitandum etiam eſt de grata appellatione ſeu ſignatura & inſcriptione. Habet enim Medicina ſuas ſuperſtitiones, & unum idemque medicamentum alio atque alio ſuperbiens titulo diverſos quoque eoſque exoptatos videbitur edere effectus. Sic celebris quidam Medicus extractum ſuum catarrhale omnibus promiſcue dat, ubi purgatione opus habent, ſed alio ſub titulo. In morbis capitis ſignantur pilulæ, Haupt-Pillen in morbis uterinis Mutter-Pillen, in articulorum affectibus Glieder-Pillen; & ſic panaceam habet omnibus partibus, ipſis etiam pedibus & manibus, dicatam. Magna profecto vis ineſt verbis, herbis & lapidibus, quod tanto cum fœnore quotidie Medicaſtri, Nugatores, Agyrtæ aliique iſtius farinæ homines experiuntur.

§. 4. Medicamenta variis menſuris & ponderibus diſtribuuntur. Pulveres dantur ad ℈ij. vel ʒj. Potiones ad ℥iv. vel ſex. Mixturæ ex aquis deſtillatis ad 2. vel 3. cochlearia. Salia fixa ad gr. xv. ℈j. vel ʒj. volatilia ad gr. viij. Spiritus acidi ad guttulas xij. vel xv. Elixiria, Tincturæ, Eſſenriæ & Extracta liquida ad guttulas 20, 30, 40. Extracta ſicciora ad ℈j. Maſſæ pilulares ad ʒß. vel ℈ij.

§. 5. Granum gr. granum hordei æquat pondere.

Scru-

Scrupulus ℈j. pendet grana xx.
Drachma ʒj. tres ſcrupulos continet.
Uncia ℥. pendet ʒviij.
Libra ℔. eſt pondus ℥xij.
℔ß. id eſt ℥vj.
Manipulus M. quantum manu comprehendi poteſt.
Pugillus P. quantum adductis digitorum apicibus attollitur.
Numero. No. } ita fructus & ſemina diſtribuuntur.
Paribus. Par. }
Ana. a. aa id eſt eorum quæ recenſentur æqualis debet eſſe quantitas.
P. æqu. partes æquales.
gl. guttulæ.
q. ſ. quantum ſufficit. } hoc arbitrio prudentis relinquitur.
q. v. quantum vis. }
q. pl. quantum placet. }
S. a. ſecundum artem.
l. a. lege artis. S. ſignetur.
ſ. ſ. ſ. ſtratum ſuperſtratum.
MB. Balneum Mariæ.

§. 6. Sæpius etiam plura ingredientia uno comprehendimus titulo, dum exempli gr. ſcribimus. ♃. Herb. 4. emollient. a. mj.
Itaque & horum addimus claſſem.
Quinque radices aperientes. Radix apii, aſparagi, fœniculi, petroſelini & ruſci.

Quatuor

Quatuor herbæ emollientes. Althæa, Beta, Malva, Violaria.

Quinque herbæ capillares. Capillus veneris. Phyllitis. Polytrichum. Ruta muraria & Ceterach.

Tres flores cordiales. Borraginis, Bugloſſæ, Violarum.

Quatuor ſemina calida majora. Semen aniſi, Cardamomi, Cumini, Fœniculi.

Quatuor ſemina calida minora. Ammios Apii, Carvi, Dauci.

Quatuor ſemina frigida majora. Sem. Cucumeris, Cucurbitæ, Citrulli, Melonum.

Quatuor ſemina frigida minora. Cichorii, Endiviæ, Lactucæ & Portulacæ.

Lapides quinque pretioſi. Granatus, Hyacinthus, Sapphyrus, Carneolus, Smaragdus.

CAPUT VIGESIMUM.

De Operationibus Pharmaceuticis.

§. I.

Alcoholiſare eſt vel ſpiritum vini ita dephlegmare & meteoriſare, ut pulverem pyrium accendat, vel pulverem teſtaceum in

N ſub-

ſubtiliſſimum pollinem redigere. v. g. Alcohol coralliorum, id eſt corallia in pollinem redacta.

Amalgamare eſt corroſio Solis & Lunæ per Mercurium, prævia qua operatione in calces rediguntur. Aufertur poſt Mercurius, ſi per corium exprimatur remanente calce: vel quod tutius, ſi evaporet in crucibulo beneficio ignis, Abrauchen laſſen.

Calcinatio fit vel igne actuali, vel potentiali per ſpiritum aliquem corroſivum. Ignis corpus calcinandum tangit vel immediate, quando Cornu Cervi igni reverberatorio committimus, unde prodit Cornu Cervi uſtum: Vel mediate, quando C. Cervi ſuſpenditur ſuper aquam ebullientem, ut ejus vapore corrodatur, tunc audit C. Cervi philoſophice præparatum.

Clarificare eſt cum albumine ovi & ſcopis decocta depurare.

Circulatio eſt digeſtionis ſpecies, ut in vaſe ad hanc operationem adaptato liquoris partes ſibi arctius jungantur & ſubtiliſentur.

Coagulatio eſt fluidi corporis concentratio.

Cohobatio eſt repetita deſtillatio, offters übergezogen. Sic paratur Spiritus nitri dulcificatus.

Cola-

Colatura fit per pannum, vel manicam Hippocratis.

Cryſtalliſare eſt ſalia prius ſoluta & eouſque cocta donec pellicula appareat, ope frigoris in elegantes cryſtallos configurare.

Cœmentare eſt metalla pulvere ſalino corrodere. Fit S. S. S. incipiendo a pulvere cœmentatorio. Eundem fere in modum conſerva roſarum paratur.

Decantare eſt liquorem per vaſis inclinationem defundere. Abgieſſen.

Detonare. (Verpuffen) fit ope Nitri, quod candenti crucibulo vel retortæ injicitur. Hinc variæ ☿ii præparationes proſtant. Simili fere modo liquores clyſſiformes parantur.

Deliquare eſt ſal in cella repoſitum fluidum reddere. Sic ſal culinare in loco humido liqueſcit. Paratur ſic oleum Tartari per deliquium.

Digeſtio inſtituitur calore proportionato ob meliorem extractionem & depurationem.

Edulcorare eſt crebrior lotio corporis ſalino menſtrui prius ſoluti, ut nempe calx omne peregrinum, quod imbibit, iterum exuat.

Extrahere eſt ipſam animam ſeu partes ſcopo & intentioni magis accommodatas proportionato evocare menſtruo, quod omne hic fert

 punctum.

punctum. Sic extractum Jalapæ fit ſpiritu vini non aqua, extractum fol. Sennæ autem aqua non vino.

Figere eſt quaſi ligare volatile, ne in auras abeat, vel illud cicurare, ut vim cauſticam deponat.

Filtrare eſt ſpecies depurandi per chartam bibulam.

Lævigare eſt corpus aliquod ſuper porphyritem in ſubtiliſſimum pulverem redigere, affuſa ſubinde aqua deſtillata, quo modo oc. 69. aliaque præparantur, & præparatorum nomine veniunt. Huc referri poteſt tritura vel pulveriſatio.

Nutriri nonnulla dicuntur ſi in præparatione convenienti ſucco inebriantur. Sic proſtat in officinis unguentum nutritum ex Lithargyrio aceto & ol. roſ. prius impprægnato paratum.

Præcipitare eſt ſolutum e ſolventis gremio excutere, ut fundum petat. Sed attendendum in hac operatione eſt tum ad ſolvens ſive menſtruum, tum ad ſolutum; Quæ enim ſolvuntur ab acidis illa præcipitantur ab alcalicis. Sic Luna ſolvitur aqua forti, & præcipitatur cineribus clavellatis, quæ vero reſinoſa & ſulphurea ſpiritu vini ſoluta ſunt, præcipitantur aquâ fontana. Sic paratur magiſterium Jalapæ.

Subli-

Sublimare eſt ſubtiliores particulas in ſublime ducere & a craſſioribus ſegregare.

Caput Vigesimum Primum.

De Inſtrumentis.

§. 1.

Uſitatiora organa & Inſtrumenta ſunt cucurbita cum alembico, veſica, retorta, tum ſimplex, tum tubulata, recipiens vel receptaculum, crucibulum, teſtæ, phiola, pyramis ferrea vel ænea, marmor politum, mortarium æneum & marmoreum, ſpatulæ ferreæ variæ magnitudinis, circulus ferreus, forſex, cribrum.

§. 2. Fornaces quoque variis modis ſtruuntur. Uſitatiores ſunt fornax pro veſica cum reliquo apparatu, fornax pro Balneo Mariæ, pro cucurbita, pro retorta. Parantur quoque furni portatiles; qualem hic confici curavi, qui, ſi cingulis ferreis bene muniantur, pluribu opera ionibus inſervire queunt. Dantur & lampadis furni pro curioſis, de quibus *Febure in Chymia.*

§. 3. Reſpectu furnorum magna etiam diverſitas caloris notari debet. In genere autem

obſervandum , quod, quo ignis magis ventilatur ab aere per ſpiracula liberius admiſſo, eo magis augeri & intendi calorem. Mitior calor eſt in deſtillatione per MB, fortior ſi per veſicam deſtillatio inſtituatur. Intenſior quoque requiritur calor pro deſtillatione per retortam. Cucurbita immittitur ſcobi ligni quercini, vel arenæ vel limaturæ martis, unde iterum diverſi caloris gradus exſurgunt.

Caput Vicesimum Secundum.

De Formulis Medicamentorum.

§. I.

Medicamenta a conſiſtentia, viribus & ipſis partibus, quibus applicantur, varias ſortiuntur denominationes, & jam proſtant in officinis, vel ad Medici arbitrium ex tempore præparantur: qualia ſunt Aceta. Aquæ. Balnea. Boli. Calcinata. Cataplaſmata. Clyſteres. Condita. Confecta. Conſervæ. Croci. Decocta. Eclegmata. Electuaria. Elixiria. Emplaſtra. Cerota. Emulſiones. Epithemata. Eſſentiæ. Extracta. Fœculæ. Flores. Gelatinæ.

næ. Gargariſmi. Infuſa. Julebi. Lapides medicamentoſi. Morſuli. Olea. Peſſaria. Pilulæ. Præcipitata. Pulveres. Reguli. Rotulæ. Salia. Sacculi. Sparadrapæ. Sirupi. Spiritus. Sublimata. Suppoſitoria. Tincturæ. Trochiſci. Vina medicata. Vitra. Unguenta & Linimenta. Quorum Compoſitiones cum præſcribendi modo facile addiſcuntur ex SCHRODERI *Pharmac. L.* 2. *&* MARGGRAFII *Tabellis*, additis regulis a ZWOLFERO, HOFFMANNO LUDOVICO & WEDELIO traditis, quæ ibidem videri poſſunt.

Soli DEO Gloria.

F I N I S.

Lp

Ahi que mon cœur est agite
l'amour y combat la fierte
Je ne scay que des deux l'emporte
quelquefois la fierte demeure la plus
forte
quelquefois l'amour est vainquee
de moment en moment une guerre
mortelle
dans mon ame se renouvelle
quel trouble helas quel rigueur
funeste amour fierte cruelle
ne cesserez vous point de deschirer
mon cœur

Alexander
Dunons